This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


73

31. III. 5

L 573.

From the
Library Fund
subscribed in 1842
Rec^d June 14,
1844

VITAE ET FRAGMENTA

VETERUM

HISTORICORUM ROMANORUM.

COMPOSUIT

AUGUSTUS KRAUSE.

BEROLINI

SUMPTIBUS FERD. DÜMMLERI.

MDCCCXXXIII.

L573

FRIDERICO WILKENIO

VIRO MULTIPLICI ERUDITIONE CLARISSIMO

BORUSSORUM REGI POTENTISSIMO A CONSILIIS INTIMIS
IN UNIVERSITATE REG. BEROL. PROFESSORI HISTORIAE
BIBLIOTHECAE REG. BEROL. SUMMO PRAEFECTO
EQUITI ILLUSTRI CET. CET.

HASCE

STUDIORUM FRUGES OBSERVANTISSIME

DEFERT

AUGUSTUS KRAUSE.

PRAEFATIO.

Interiorem historiae Romanae cognitionem ab exploratis rerum Romanarum fontibus antiquissimis proficisci, clarissimo nuper exemplo magnus Niebuhrius docuit nec defuerunt qui illius vestigia premerent cum laude. Itaque ego et meo studio ductus et admonitus praeclarissimorum in hac urbe magistrorum scholis, quorum maximam me huius rei gratiam debere Wilkenio et Zumptio viris eruditissimis profiteor, ad colligenda et componenda veterum historicorum Romanorum fragmenta animum appuli, non inutilem rem acturum me ratus, siquidem post Cortium et Havercampium nemo id ex professo factitasset, multi multa dispersis locis annotassent. Nam Frotscherus Lipsiensis Cortianae repetitor cum esset confessus fragmenta veterum historicorum nova cura et digna esse maxime et egere, nihil tamen ad eam rem attulit nisi forte et aliud agenti oblatum. Quocirca operam dedi sedulo, ut et historicorum qui omissi essent velut Tuditani, Scauri, Catuli, Sullae, aliorum fragmenta adiicerem et reliqua examinatis librorum locis augerem et emendarem, totumque quasi chorum scriptorum quam fieri posset studiosissime ornatum producerem. Qua in re magnopere qui-

dem dolendum videtur fragmenta veterum scriptorum Romanorum quippe a grammaticis et lexicographis fere, non, sicut in Graecis contigit, a florum et sententiarum collectoribus repetenda tam disiecta et brevia esse ac saepe singulis aut paucissimis verbis constare. Verum ultra quod fieri possit nemo aequus iudex postulabit, et alioquin hoc quoque interdum est aliquid, scire nihil esse. Quanquam vel sic satis multum est, quod eum, qui in veteri memoria perdiscenda elaboret, et adiuvare et delectare possit. Recentiorum scriptorum libros subsidiarios et peculiares de singulis rebus et auctoribus scriptiones quoniam in ipso libro data opportunitate laudavi, hoc quidem loco eorum nomina commemorare laudesque repetere non opus est. Dolui tantum me Maiansii et Bolhusii dissertationes de scriptis Catonis aliasque pauciores nancisci non potuisse. Ceterum ut ipse quidem mihi conscius sum, nullam me diligentiae et industriae partem, quae in me posita fuerit, omisisse, quandoquidem in eo labore non ingenii solum et doctrinae fructum sed etiam animi, cum multis fortunae iniquitatibus per hoc tempus conflictati, requiem petivi, ita restat, ut libello meo favorem doctorum aequorumque iudicum petam atque exorem.

Scripsi Berolini Idibus Martiis a. 1833.

SCRIPTORES.

	Pag.
Cn. Naevius	34
Q. Ennius	36
Q. Fabius Pictor	38
L. Cincius Alimentus	63
Num. Fabius Pictor	82
P. Scipio	83
C. Acilius Glabrio	84
Philinus	87
Silenus	88
Sosili duo	88
Chaereas	88
M. Porcius Cato	89
M. Fulvius Nobilior	125
C. Iulius	127
A. Postumius Albinus	127
Ser. Fabius Pictor	132
L. Scribonius Libo	138
L. Calpurnius Piso Frugi	139
L. Cassius Hemina	155
Timaeus	166
Zeno	168
Polybius	168
Strato	169
Q. Fabius Maximus Servilianus	169
C. Fannius	171
Vennonius	175
L. Attius	176
C. Sempronius Tuditanus	178
L. Coelius Antipater	182

Pag.
Cn. Gellius..... 202
Sex. Gellius..... 209
A. Gellius..... 211
Clodius Licinus..... 213
P. Sempronius Asellio..... 216
C. Iunius Gracchanus..... 221
M. Aemilius Scaurus..... 223
P. Rutilius Rufus..... 227
Q. Lutatius Catulus..... 232
C. Licinius Macer..... 234
Q. Claudius Quadrigarius..... 243
Q. Valerius Antias..... 266
L. Otacilius Pilitus..... 289
L. Cornelius Sulla..... 290
L. Cornelius Epicadus..... 296
T. Manilius..... 297
Cn. Aufidius..... 298
L. Cornelius Sisenna..... 299
M. Pompilius Andronicus..... 317
Q. Lutatius..... 318
Q. Aelius Tubero..... 321

In poesi palma merito Graecis tribuitur: prosae orationis genera a Romanis ita tractata sunt, ut, si non sint praeferenda, at cum praestantissimis Graecorum operibus comparanda. Nati illi sunt ad poesin: etiam de rebus pedestri orationi maxime accommodatis, ut fert eorum indoles, versibus scribunt. Contra Cato (Cicero Tuscul. lib. I, cap. 2) Fulvio ut crimen obiecit, quod consul in provinciam poetas duxisset, et apud Gellium (Noct. Att. lib. XI. cap. 2 § 5), dicit de antiquioribus temporibus: „Poeticae artis honos non erat; si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, is grassator vocitatus". Abhorret autem fere Romanum ingenium ab arte poetica: non vates, sed necessitas ipsis deos fecit, eosque colendos ac venerandos docuit, unde factum est, ut religio ad rem publicam gubernandam aptissima esset (Polybius lib. VI. cap. 56). Rei publicae autem, non sibi viventes, orbem terrarum subegerunt, ὃ πρότερον οὐκ ἠρίσκεται γεγονός (Polyb. I, 1). Scilicet Martis suboles est: patrum sermonibus tenuia puerorum pectora ad rem publicam trahebantur: non fabulosas res aut sacros libros, sed carmina de virtute ac gloria populi lectitabant, ediscebantque duodecim tabulas, quas futurae vitae magistras bibliothecis suo iure anteposuerunt veluti et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate longe praestantiores (Cicero

de orat. I, 44 et 57). His quasi nutrimentis adolescens altus et corroboratus, virili toga sumpta fori auditor erat, sectator iudiciorum, virorum rei publicae peritorum discipulus. Incitabant deinde ad egregia facinora imagines, de quibus Sallustius in Iug. cap. 4: „Saepe audivi Quintum Maximum, Publium Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere: cum maiorum imagines intuerentur vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit." Cf. Tac. Agric. c. 46. Tum de laudationibus fatetur Polybius lib. VI cap. 53: τοῦ καλλίου οὐκ εὐμαθὲς ἰδεῖν θέαμα νέῳ φιλοδόξῳ καὶ φιλαγάθῳ. Denique Annales Maximi, et duodecim tabulae vitae magistrae, publice expositi universo populo cotidie Romanam gloriam ostentabant, et iuventutem ad exaequanda maiorum facta stimulabant. Ita adulta Martia gens terrarum orbem domuit, nec domuit solum, sed etiam summa cum arte rexit; contra τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον παραπλήσιον εἶναι συμβαίνει τοῖς ἀδεσπότοις σκάφεσιν (Polyb. lib. VI cap. 44). Iam vero Annales Maximos instituerant, ut haberent sempiternos gloriae praecones. „Pulchrum est, Sallustius inquit (Catil. cap. 3), bene facere rei publicae: etiam bene dicere haud absurdum est: vel pace vel bello clarum fieri licet; et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur." Bene facere igitur et bene dicere Romanorum maxime propria sunt; quique non faciunt, eorum vitam mortemque iuxta aestimant, cum de utraque sileatur: is vero demum illis vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus,

praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerit (Sallust. Cat. c. 2 extr.). Sed bene dicere illud prae ceteris de historia scribenda intelligendum est, de oratoria arte non item. Nam cum Pontificum annalibus historicorum munus iam esset sanctum, floruissentque multi historici, ornatissimi et amplissimi viri, tamen Senatus consulto et Censorio edicto rhetores ludum impudentiae, quem vocabant, eludere iussi sunt: cf. Suetop. de clar. rhetor. cap. 1. Gellius XV, 11. Cicero de orat. III, 24 § 93. Dialog. de orat. cap. 35. Sed cum auctoritatis pondere et utilitatis ubertate Romani plurima metiuntur (Cic. de orat. I, 44 init. coll. I, 2 § 6 sqq. Tuscul. I, 1): cetera litterarum genera, ingenio ipsorum non ita apta, minus bene coluerunt, deque philosophia etiam Ennius ille: Philosophandum esse inquit, sed paucis, nam omnino non placere. Antiquissimis iam temporibus, quamvis profunda caligine maxime obductis, iuris prudentiam artemque historicam in honore fuisse reperimus: historiae tamen scribendae fontes, utpote longe vetustiores Romulo vel Numae tribuuntur: cf. Cic. de orat. II, 12. Vopiscus in Tacito cap. 1. Itaque Romani illud litterarum genus, quod sensibus eorum maxime aptum est, primum se tractasse ipsi confitentur. Atque ut epica carmina per omnia tempora a Graecis composita sunt, sic Romani usque ad interitum rei publicae scripserunt historias [1]). Sacrosanctum autem fuit res

1) Non obstat me iudice Isidorus Hispal., qui in Origg. lib. I cap. 37 ita disserat: „Praeterea sciendum tam apud Graecos, quam apud Latinos longe antiquiorem curam fuisse carminum, quam prosae. Omnia enim prius versibus condebantur, prosae autem studium sero viguit. Primus apud Graecos Pherecydes Syrius soluta oratione scripsit; apud Romanos autem Appius

scribendi negotium, principio iam pontificum proprium: nec a profano vulgo pollui historiam passi nobilissimi viri, ut fas fuit, populi facinora enarranda sibi sumpserunt. Ac ne plura consecter, comprehendam breviter: sic enim statuo, historicam artem Romani ingenii proprium florem esse, tractandumque prae ceteris praestantissimum hoc litterarum Latinarum genus, ut historicorum foetus artisque fontes diluteide cognoscantur [2]). Qua in re dolendum quidem est, quod tanta est de veteribus historicis testimoniorum pauditas: veteres enim, diversi a recentioribus, non laudem quaerunt in nominandis fontibus, quos diligenter collectos ad suum usum adhibuerunt. Ac videntur etiam plures historici fuisse, quam quorum memoria ad nostram aetatem pervenit: certe aliqui, ut P. Scipio et C. Iulius, semel tantum et obiter nominantur, deque oratoribus Cicero similiter ait in Bruto cap. 15. § 60: „et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset." Nolumus tamen in lugendo multi esse, sed, ut decet philologum, damnum, quod in hac litterarum parte perquam magnum est factum, aequanimi

Caecus adversus Pyrrhum solutam orationem primus exercuit. Iam exhinc et ceteri prosam orationem condiderunt." Cicero in Brut. cap. 16 init.: „Hunc igitur Cethegum consecutus aetate Cato, qui annis novem post eum fuit consul. Eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M'. Manilio consulibus mortuus est, annis octoginta tribus ipsis ante me consulem. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho, et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant."

2) Quintil. instit. oratt. X, 1, § 101: „At non historia cesserim Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear: neque indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium" est.

erit in nobis, resarcire coeptabimus. Itaque ut primum percurramus breviter artis aetates; gens ista, quae Martem parentem colit, cuncta in agendo collocans, initio satis habuit annalibus maximis res praeclare gestas notare. Hoc vero negotium, ut rem sacram, commisit tutelae Pontificum. Habuit etiam alia historica monumenta, laudationes, libros Magistratuum et id genus alia, sed tamen Pontificum annales uberrimi et iusti ad maiorum facta cognoscenda fontes et erant et habebantur. Sero autem ipsa historia in ea urbe, ubi et nata et alita est prae ceteris, in lucem prodire coepit, siquidem primi rerum scriptores Punicis demum temporibus floruerunt. Dionysius lib. I cap. 73: παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς: cf. Eusebii Chron. tom. I p. 379 ed. Auchar; Livius lib. VIII cap. 40: „nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor extat" cet. coll. VI, 1. Syncellus in chronographia pag. 154 D: κατὰ δὲ τοὺς Ῥωμαίων λογογράφους ὕστερον γεγόνασιν, ἐπεὶ παλαιὸς οὐδεὶς παρ' αὐτοῖς cet. Apud Graecos poesi ad summam fere perfectionem exculta, historiam tractari coeptam animadvertimus; Romani vero ob ingenii saeculique rationem statim ad historiam scribendam se contulerunt, poeseos generibus nihil paene tractatis. Sed quod Punica aetas primos historicos tulit, quid mirum, si magnitudinem belli apud animum reputaveris? Ita enim Polybius dicit, ipse belli ratione ad scribendum incitatus, lib. I cap. 13: οὔτε γὰρ πολυχρονιώτερον τούτου πόλεμον εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔτε παρασκευὰς ἀλοσχερεστέρας, οὔτε συνεχεστέρας πράξεις, οὔτε πλείους ἀγῶνας, οὔτε περιπετείας μείζους, τῶν ἐν τῷ προειρημένῳ πολέμῳ συμβάντων ἑκατέρους. αὐτά τε τὰ πολιτεύματα κατ' ἐκείνους τοὺς καιροὺς ἀκμὴν ἀκέραια μὲν ἦν τοῖς ἐθισμοῖς, μέτρια δὲ ταῖς τύχαις, πά-

ρεα δὲ τοῦ δυνάμεσι. Atque illa tum magnanimorum virorum una vox erat: ἢ νικᾶν ἢ θνήσκειν (Polyb. VI c. 58 § 11). Ut autem a Graecis Marathonii viri celebrantur, ita in Romanorum ore versantur Coruncanii, Fabricii, Catones, Scipiones, cunctique quos tulit Punica aetas: Cic. de orat. III, 15 § 56. Meruerunt igitur primum Romani historiam, deinde scripserunt. Primi quidem Naevius et Ennius res gestas populi carminibus celebrarunt, sed in historicorum censu poetarum magna ratio haberi nequit. Ipsa tamen argumenti, quod tractarunt, electio declarat, quantopere res gestas populi scribere Romanorum sensibus conveniat, cum inter Graecos post tantum temporis spatium Choerilus demum Samius historicam materiam carmine tractare ausus sit. Postea etiam Attium scimus, aliosque complures poetas facta cecinisse. Poetarum autem Naevii Enniique temporibus floruerunt Quintus Fabius Pictor, patricius, et Lucius Cincius Alimentus, homo de plebe ut Cn. Naevius, M. Fulvius Nobilior, C. Sempronius Tuditanus: non enim omnes rerum scriptores patricii erant, cuncti tamen honesti et clari viri ad Sullae ferme aetatem, qua etiam libertini homines historias scribere inceperunt. Quintus ille Fabius, omnium antiquissimus, et Lucius Cincius Graece scripserunt; pari modo Numerius Fabius Pictor, Publius Scipio, C. Acilius Glabrio, A. Postumius Albinus, C. Iulius, P. Rutilius Rufus, Cn. Aufidius, alii [3]). Omnes autem veteres historici, quo nomine maxime videntur collaudandi esse, viri erant in re publica et caussis versati, quod in Grae-

3) Iustinus in praefatione multos ait ex Romanis, etiam Consularis dignitatis viros, res Romanas Graeco peregrinoque sermone in historiam contulisse.

cis recte desiderat Cicero de orat. lib. II cap. 13.[4]). Nostri igitur non in umbraculis vixerunt, gloriamque intra parietes aluerunt, sed processerant in solem et pulverem, extarentque plurimorum nomina, si historias non scripsissent. Deinde vero suas tantum res, non alienarum populorum facta perscripserunt.[5]), unde luculentius etiam perspicitur, quod de Pontificum annalibus monui, Romanos populares gloriae celebrandae cupiditate ductos in historia potissimum conscribenda operam collocasse. Ac de Livio Plinius ait in praefatione Histor. Natur: „Profecto enim populi externarum victoriis, et Romani nominis gloriae, non suae magnitudini posuisse illa decuit." Tum multi veterrimorum historicorum de rerum gestarum memoriae virtute ac celeritate dixerunt: cf. Sallustii Iug. cap. 4 init. Ad quemadmodum historica ars, si quae alia, Romanorum ingenii propria est, ita etiam res enarrandi modo ac via illorum ingenio accommodata, non adscita extrinsecus: quod autem Cicero de legibus lib. I c. 2 princ. abesse historiam a litteris Latinis dicit, ex sequentibus verbis perspicitur, ad narrationis celeritatem referendum est. Etiam in Bruti cap. 64

---

4) Polyb. XII, 27 § 8: τοῦτον δὲ δυνατώτατον ἐν λόγῳ πλείστων μετεσχηκότα πολιτικῶν ἀγώνων. Et cap. 28 § 3: ὃ δ' ἂν εἴποιμι, διότι τὰ τῆς Ἱστορίας ἔξει τότε καλῶς, ὅταν πραγματικοὶ τῶν ἀνδρῶν γράφειν ἐπιχειρήσωσι τὰς ἱστο- (§ 5) ἢ οἱ γράφειν ἐπιβαλλόμενοι, τὴν ἐξ αὐτῶν τῶν μύσεων ἕξιν ἀναγκαίαν πρὸς τὴν ἱστορίαν.

5) Iustinus in praefatione: „Nam cum plerisque auctoribus, lorum regum vel populorum res gestas scribentibus, opus ardui laboris videatur: nonne nobis Pompeius Herculea ia orbem terrarum aggressus videri debet, cuius libris omnium lorum, regum, nationum, populorumque res gestae conti- r?"

genus hoc scriptionis nondum satis Latinis litteris illustratum queritur. Inanis vero recentiorum quorundam opinio est, Hecataeum Milesium, Ephorum, Euhemerum, quos λογογράφων constat rerum investigatores esse, Romanis adeo placuisse, ut ad imitandum illos potissimum eligendos sibi existimarint. Contra si quae inter eos similitudo in historica tractatione versatur: eius rei caussa in saeculo potius et cogitandi sentiendique Romanorum propria ratione quaerenda est. Convenit autem praeter ceteros Romanorum sensibus, ut alieni a fabulosa rerum implicatione, ieiune explicare et nude omnia studeant. At mens fabulis dedita, Romanorum gravitatem ac dignitatem parum subintelligit. Hellanicus Lesbius, quod historiam verissime scripsit, res inter sese diversas memoriae prodidit: et Hecataeus Milesius fatetur (Demetrius de Elocutione § 12. Cf. Creuzer: Fragmenta histor. Graecor. pag. 15): τὰ δὲ γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν. Tum μυθοτόκος Ἑλλὰς a Nonno dicitur. Choerilus autem Samius poeta, aequalis Herodoti, primus omnium spretis fabulis historicum argumentum carmine tractavit; quod cum a Graecorum ingenio ac sensu abhorrere videretur, galeatum prologum praemittendum putavit, quo institutum suum excusaret: iam satis tractatas fabulas esse, decere dignius argumentum, pugnam Graecorum cum Xerxe canere. Ita autem scripsit (cf. Choerili Samii fragm. ed. Naekius, Lipsiae a. 1817 pag. 111):

Ἠγεό μοι λόγον ἄλλον, ὅπως Ἀσίης ἀπὸ γαίης
Ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας.

Romanis Olympiodorus in Aristotelis Meteora pag. 27 τὸν κόμπον vindicat, ob eumque illos a poetis ὑπερηφορέοντας vocari refert. Propter ingenii autem rationem

nunc et eundem tenorem in historiis habent, ut ipsum imperium firmum ac stabile est. Fuerunt quidem de orbis primordio Graeculorum varia somnia: sed ea tamen Romanis fere ignota, nec quicquam apud eos aluerunt; cf. Dionys. lib. I cap. 73, Plutarchi Romuli init., Festus in Roma, Solinus cap. 2, Syncellus in chronograph. p. 153 sqq. Ac de his quidem potissimum valet, quod ait Syncellus l. l. extrem: καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, πολλὴ γέγονε διαφωνία περί τε τοῦ χρόνου τῆς κτίσεως αὐτῆς καὶ τῶν αἰωρήσεων. Cf. Eusebii chron. com. I pag. 374—392 ed. Aucher. Neque factae a Graecis fabulae sunt illi populo: non enim transmarinam sapientiam redolent, sed omnes vere Romanum sensum declarant. Ne igitur feramus eos, qui populum late regem ab ea natione componi sibi fabulas passum aiunt, quae orbis populi florentissima re publica ineptiarum merito accusatur, quaeque vim huius mali non intelligens, etsi maxime eo cumulata, ne nomen quidem ei vitio imposuit (Cicero de orat. lib. II cap. 4 § 18): suas quidem imprimisque sacras litteras finxerunt isti ac supposuerunt, at Romanarum rerum gestarum Onomacriti non fuerunt. Fabulae autem, ut erant a primis temporibus divulgatae, cum viderentur imperii gravitati ac dignitati maxime accommodatae esse, nemo facile ausus est mutare quicquam et suo nisus ingenio labefactare. Neque ego dubito, quin patrias fabulas spernere ac novas inducere, crimen Romanis visum fuisset. Ipse etiam Livius imperii admirator antiquitatem reveritus, ita ait in praefatione: „Quae ante conditam condendamve urbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia

urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet consecrare, originem suas et ad Deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano, ut, cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur, aequo animo, quam imperium patiuntur." Accedit, quod defuit iis acumen et doctrina, quid verum esset, quid falsum, indagare, et indagatum pronuntiare. Denique vero post tantam saeculorum seriem maximam partem rerum vera ratio erui ne potuit quidem, etiamsi voluntas et acumen non obfuisset. Sed tamen, utut res est comparata, iure fortasse hoc quidem historicis illis imputamus, quod non satis accurata diligentia res perscrutati sunt, sed divulgatas fabulas repetere ad conservandam tuendamque rei publicae dignitatem praestabilius duxerunt. Atque ab hac reprehensione ne ii quidem liberandi sunt, qui maxime rerum investigatores ab ipsis veteribus praedicantur: Q. Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, M. Porcius Cato, L. Calpurnius Piso, C. Fannius, L. Coelius Antipater, aliique complures, eadem fere laude ornati: plurimi enim consuerunt nobilem aliquem scriptorem sequi, parum inter sese discrepantes, nec de fide admodum solliciti, ut antiquissimis temporibus fieri solet. Hanc autem principem aliquem scriptorem sequendi consuetudinem, quam eandem scimus media aetate fuisse, his verbis significat Dionysius Halicarnassensis in Antiq. Rom. lib. I pag. 64 extr. edit. Sylburg: περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων, Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει cetera. En illi nominati comites sunt, qui alibi rerum investigatores appellantur! Pari modo Plutarchus in Romulo

ag. 22 B. edit. Francof. Διοκλῆς τε Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ
άβιος Πίκτωρ ἐν πλείστοις ἐπηκολούθησεν. — Quam-
iam de Diocle post videbimus. Factum est igitur,
res memoria dithe, sermonibus crescerent ac litte-
rum monumentis inveterascerent et corroborarentu-
r. Ac si perpauca exceperis, quae de universa Ro-
anae historiae ratione commemoratu vix digna sunt,
antiquissimis temporibus unus atque idem historiae
nor usque ad ultima rei publicae tempora mansit.
de vero perspicitur, quantum scriptoribus antiquis
diligentia ac fide tributa laus nobis quidem iudi-
us valere queat. Quanquam nec trium populorum
amen tenebris obvelatorum temporum historiis mer-
bit, neque iuvabit res ab antiquis traditas spernere,
rumque in loco collocare ea, quae ingenii sagacitati
venisse sibi visa est. Sed ut ad veteres aliquos
leat disputatio, Q. Fabius Pictor a Dionysio fidei
mine laudatur, tum L. Cincius Alimentus diligens
numentorum auctor fuisse traditur (Liv. VII, 3),
idemque ob caussam celebrantur C. Licinius Macer,
Aelius Tubero, qui libros linteos adhibuerint (Liv.
cap. 7 et 23). Eorum autem Cincio propter dili-
ntiam fidemque recentiores primas detulerunt, de-
oti opinor librorum indicibus, qui auctoris diligen-
m indicant, sed aliis Cinciis, non historico nostro
dicandi sunt. Atque eadem ratione fidei nomine
laudandus erat Q. Fabius Pictor, quippe cui libri
iure pontificio, non minores quanquam pauciores
igentiae et industriae testes adscribi soleant. Sci-
et Polybium iudicem veriti, non ausi sunt de
bio Livio ac Dionysio assentiri. Verumtamen alieni
icio ab antiquis datam fidem nauci putare, bonum
n. auctorem, ac pro temporibus illis diligentem scri-
rem, una tamen cum Fabio appellemus.

Haec autem breviter adumbrata sufficiant de auctoritate historicorum, qui ante Catonem floruerunt. Cuncti vero veteres scriptores usque ad Graecchorum ferme aetatem vel serius etiam Annales scripserunt inde ab urbe condita usque ad sua tempora, consimiles mediae aetatis chronographis, qui ab Adamo et Eva incipientes historiam ad sua tempora deduxerunt. Non autem, ut sunt, qui putent, tanquam mera procemia antiquiorum temporum historiam repetiverunt, cum uberius ea perscripserint, quam quisquam eorum, quorum libri integri ad nos pervenerunt. Dionysio teste etiam cum Graecis chronographis comparandi sunt (lib. I pag. 7 init.): εἰσὶ δὲ παῖς Ἕλλησι χρονογράφοις ἐοικυῖαι, ubi verbose sane pro veterum sensu locutus scriptor Graecus de fontibus suis, eos tantum Romanorum scriptores attulit, qui res gestas Latine perscripserant. Idem tamen paullo ante minus accurate veterum Romanorum scriptorum opera ἱστορίας vocavit, cum, si non omnes, at plurimos appellasse Annales constet. Marius Victorinus ad Ciceronis Rhetor. lib. I ait: „Primum annales fuerunt, post historiae factae sunt.“ In annalibus autem consulum additis nominibus per singulos annos res simpliciter notatae vel narratae erant: in historiis etiam rerum nexus et caussae explicatae, ut annalium confectores cum λογογράφοις vel potius ὡρογράφοις, historici cum συγγραφεῦσι recte comparentur. Atque ob hanc annalium rationem Cicero in epistola ad Lucceium (V, 12) scribit: „Ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum.“ Gellius lib. V cap. 18 de annalium historiarumque discrimine uberius disseruit: nonnulli enim utrumque rerum gestarum narrationem putarunt, proprie vero historiam earum rerum, quibus gerendis scriptor interfuit. Hoc autem rectu-

se fertur Verrius Flaccus, perdoctus homo (de quo . Sueton. de illustr. Gramm. cap. 17), quatuordam se de eo discrimine dubitam, et recte, me arbitro, ibitavit, etsi Tacitianis operibus convenit. Gellius tem cum aliis videtur sentire, annales omnino id esse, od historias; historias non omnino id, quod annas: historias enim esse rerum gestarum vel explicanem vel demonstrationem: annales vero esse, cum gestae plurium annorum observato cuiusque anni line deinceps componantur. Ita etiam Sempronius ellio dixit: „Annales libri tantum quod factum, nque anno gestum sit, ea demonstrant.“ „Denique, Gellius refert, cum non per annos, sed per dies gulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco vo ulo ἐφημερὶς dicitur: quod Sempronius Asellio diam Latino interpretatus est.“ 6) Sed duplex illa

6) Isidorus Hispal. Origg. lib. I cap. 40: „Historia est narrio rei gestae, per quam ea, quae in praeterito facta sunt dicuntur. Dicta autem Graece historia ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, vel a videre, vel cognoscere. Apud veteres enim nemo conscribebat historiam, nisi is qui interfuisset, et ea quae scribenda essent vidisset.“ cap. 43: „Genus historiae triplex est. Ephemeris namque dicitur unius diei digestio; hoc apud nos Diarium vocatur. quod Latini diurnum, Graeci Ephemeridα dicunt. Calendaria appellantur, quae in menses singulos digerantur. Annales res singulorum annorum. Quaecunque enim digna memoria domi militiaeque mari ac terra per annos in commentariis sunt, ab anniversariis gestis annales nominaverunt. Historiae multorum annorum vel temporum est: cuius diligentiae annui commentarii in libris delati sunt. Inter historiam autem annales hoc interest, quod historia est eorum temporum quae nos: annales vero sunt annorum quos aetas nostra non novit. Unde Sallustius ex historialibus, Eusebius et Hieronymus annalibus et historia constat.“ Porro Servius ad Aeneid. v. 373: „Inter annales et historiam hoc interest. Historia est eorum temporum, quae vel vidimus, vel videre potuimus,

de annalium ratione opinio, a Gellio tradita, cum maioris diversitatis speciem habet: tamen condungi utramque posse arbitror, cum antiquiores scriptores, ab urbe condita per singulos annos res gestas describentes, factorum nexum tenoremque non ita explicare aut potuisse aut voluisse videantur, quam licuit libuitque iis, qui rebus gestis ipsi interfuerant. Atque cum propter ingenii doctrinaeque rationem posteriores rerum scriptores, sua magnam partem tempora memoriae tradentes, enucleandis rerum caussis eventisque maiorem operam darent, simul etiam in universum recte statuere nec magnopere dissentire Victorinum fatebere, qui primum ait annales fuisse, post factas historias esse. Sed annales ab antiquis scriptoribus saepe historiae aut rerum gestarum libri nominantur, ut neglecto iusto discrimine, quemque inscriptus liber fuerit, iudicari interdum non queat: idque factum est, quod posthac sine aliquo discrimine utrumque nomen in usu fuit. Quid? quod Livius libros suos (lib. XLIII cap. 13) annales vocat? At Plinius in praefatione historiae naturalis eosdem libros dicit historias. Ita (Servii) Fabii (Pictoris) annales Gellius laudat, Nonius rerum gestarum libros: Catonis origines, quas inscripsit, modo historiae, modo annales appellantur, ut suo loco accuratius exponam: A Postumii Albini libros Graece scriptos Macrobius annales, historiam Gellius vocat: L. Calpurnii Pisonis Frugi et annales et historiae et ἐνιαύσιοι πραγμοτεῖαι laudantur, et quidem a Prisciano lib. X p. 887 ed. Putsch. annales, ab eodem

---

dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est videre. Annales vero sunt eorum annorum, et temporum, quae aetas nostra non novit; unde Livius ex annalibus et historia constat. Haec tamen confunduntur licentiae, ut hoc loco pro historia inquit annales.

dem libri K p. 877 historiae. Castil. Hemitae libri
annales et historiae a Nonio dicuntur (in censere
proletarii cet.): C. Fannii unum prorsus atque
ndem librum Cicero (in Brut. c. 21 et 26 et 67 de
at. II, c. 76 ad Att. XIII, 5) annales et historiam
cit: Tantalo Gemini historias Suetonius in Caes.
p. 9 affert, in epistolis annales Seneca nominat,
ndem fortasse librum, nisi forte rei eadem ratio sit,
que in scriptis Tacitianis. Neque Graecos inter
γγραφεῖς et ἱστορικοὺς discernere accuratius con-
sse novimus. Annalium autem confectores veteres
n in antiquis, tum praesertim in suis temporibus
lti versati sunt: cf. Dionys. lib. I pag. 5 extr. De-
ue dicendi genus, quo usi sunt, ieiunum et exile
, quod etiam in posterioribus scriptoribus, Catone,
one ceterisque a Cicerone potissimum reprehenditur.
Sed ut ad historicos nostros revertamur, post
nos scriptores, qui Graeco sermone res gestas com-
uerant, aetas fuit historicis aliquanto fertilior. Est
n extra dubitationem positum, inde a Catone Cen-
o historicos floruisse, qui in indagandis rebus maio-
operam laboremque collocarent. Atque hoc no-
e prae ceteris appellandus est ipse Cato, qui Ori-
bus doctrinae monumentum sibi posuisse traditur:
autem non solum historicus, sed etiam antiquita-
peritissimus, ut Servius Fabius Pictor, M. Fulvius
ilior, Q. Fabius Maximus, C. Iunius Gracchanus,
nam his demum temporibus antiquitatum studia
ebruerunt. Quanquam Porcius ille laudatissimus
suis temporibus rerum perscrutator fuit. Eadem
ricae fidei laude digni fuisse dicuntur L. Calpur-
Piso, C. Fannius, L. Coelius Antipater; deinde
Graecos, qui Romanas res scripserunt, collau-
us nobis est praecipue Polybius, historicus paene

perfectus. Hos autem fere omnes Cicero rerum narratores, non exornatores dicit: Coelium tamen paululum se erexisse, et historiae maiorem sonum vocis additisse: Cic. de legg. I, 2 de orat. II, 12 coll. de orat. III, 11 § 42. Tum fuit etiam P. Sempronius Asellio, qui magno ore se gloriatur novam scribendi viam inire, diversam a prioribus annalium confectoribus, qui omiserint, ut loquitur Polybius III, 33 § 6: τά τ' ἐπιχωριαζόμενα τοῖς ἔργοις, καὶ τὰ παρεπόμενα, καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὰς αἰτίας.

Graecorum deinde aetas magnam effudit copiam scriptorum: sed nos ab urbe condita describendi consuetudinem, a maioribus traditam, haud pauci reliquerunt, et aut suorum temporum historiam confecerunt, ut L. Coelius Antipater, P. Sempronius Asellio, Q. Claudius Quadrigarius, aut vitam suam enarraverunt, quod de Rutilio, Catulo, Scauro aliisque memoriae proditum est. Secuti tamen patrium morem annales composuerunt Gellii, C. Licinius Macer, Q. Valerius Antias, reliqui. Sed omnes antiquae gloriae patriisque instituti memores, usque ad Tregum Pompeium sui tantum populi res gestas celebrarunt.

Tum Sullae tempore litterarum studia, quae in Latio maxime culta erant, Romae diligentius tractari coepta sunt: cf. Cicero pro Archia cap. 3. Eadem aetate etiam ex libertino ordine homines se ad historiam scribendam contulerunt, ut legitur apud Suetonium de clar. rhetor. cap. 3: „L. Otacilius Pilitus primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.“ Omnium vero eorum scripta, quorum in censu nostro mentio fiet, Ciceronis et Augusti temporibus, fortasse etiam serius, integra extabant, quod quidem orationibus scriptis,

Ci-

cerone auctore, non accidit: cf. Cic. Brut. c. 17 § 65. 21 § 82. c. 27 § 106. c. 34 § 129. Posthac nilominus clari inque re publica versati viri satis lti in rebus gestis tradendis operam suam posuerunt. rnelium Nepotem etiam historicorum, ut imperaton et poetarum, et Graecorum et Latinorum vitas nposuisse scimus. Tum Varro ille Gellio teste (XVI, § 5) librum fecit de historia, Sisennae historici iestantissimi nomine inscriptum. Vitam autem itea narrarunt Sulla, Cicero, Caesar, Varro, Auitus (Sueton. c. 85), M. Vipsanius Agrippa (Phigyrius in II Georg., qui laudat librum secundum), erius (Sueton. 61), Claudius (Suet. 41), Hadrianus artian. 7 et 15), Severus (Spart. in Pescennio ro 4. Capitolin. in Clodio Albino 7): etiam liberti ronorum res gestas perscripserunt, Epicadus Sul- (Suet. de ill. Gramm. 12), Tullius Tiro, Otacilius itus Cn. Pompeii Magni (Suet. de cl. rhet. c. 3), us Marathus libertus Augusti (Suet. Aug. 79), egon Hadriani (Spartian. 15), Aurelianus Festivus reliani libertus (Vopisc. in Firmo 6). Sed ut ad iquos nostros redeam, cunctos usque ad Sisennam Sallustium, ne Coelio quidem plane et Asellione eptis, balbutisse facile dixeris. Eorum vero, qui obis omittentur, principes sunt Sallustius et Taci- non sui temporis, sed omnis aevi historici, quos Clio artem docuisse videatur. Veteres tamen ri, in Graecis litteris ferme rudes, historiam tandolarunt; nemo enim illo tempore dicti erat studus; satis fuit non esse mendacem, resque gestas er et incoucinne λέξει εἰρομένῃ annectere, in quo n ipso saepe est magna quaedam iucunditas, quam se imprimis arbitror in fragmento Claudiani libri i, quod Gellius IX, 13 propter orationis simpli-

citatem ac suavitatem in Noctes Atticas referendum putavit. Verumtamen, ut scriptoribus nostris ne nimium imputes, reliquis in rebus idem evenit; nihil est enim, ut ait Cicero (Brut. c. 18 § 71) simul et inventum et perfectum. Atque Aulus Albinus principio annalium Graece scriptorum ipse veniam petivit, si parum eleganter aut minus composite scripserit: nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio; Graeca oratio a nobis alienissima est. Contra emunctior aliquanto Coelius Antipater prooemians denuntiat, se non aperte verba traiecturum, nisi necessario. Posteriores autem scriptores, Sisenna, Sallustius, Caesar, Livius, ceteri, Graecarum artium periti valde ornata ac perpolita opera fecerunt. Nimirum quemadmodum Romani cunctos populos sub suum imperium redegerunt, eorumque varios deos uno in templo collocarunt: ita etiam litteras artesque novas adsciverunt, aut suas aliarum praestantia locupletarunt. Sed ne λογογράφοι quidem, quod nomen a Thucydide primum usurpatum, post mihi videtur vulgare factum, maiore arte, quam annalium confectores in scribendo versati sunt. Testis est Cicero in II de orat. lib. cap. 12: „Graeci quoque sic initio scripitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso.“ Et paulo post: „Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit; talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio, modo enim huc ista sunt importata, et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. Paululum se erexit, et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ce-

ri non exornatores rerum, sed tantummodo narra-
res fuerunt. *(cap. 13)* Est, inquit Catulus, ut dicis.
ed iste ipse Coelius neque distinxit historiam varie-
te locorum, neque verborum collocatione et tractu
rationis leni et aequabili perpolivit illud opus; sed
: homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicen-
m, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, su-
eriores." De legg. I, 2 Cicero loquentem Atticum
cit: „Postulatur a te iamdiu, vel flagitatur potius
storia. Sic enim putant, te illam tractante, effici
sse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil ceda-
us. — — abest enim historia litteris nostris, ut et
se intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem
profecto satisfacere in ea, quippe cum sit opus, ut
i quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime.
iamobrem aggredere, quaesumus, et sume ad hanc
n tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut
norata, aut relicta. Nam post annales Pontificum
aximorum, quibus nihil potest esse ieiunius, si aut
Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est,
itonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad
nnonium venias: quanquam ex his alius alio plus
bet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes?
nnii autem aetati coniunctus Antipater paulo infla-
vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem
ue horridas, sine nitore ac palaestra: sed tamen
nonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent.
ce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio:
il ad Coelium; sed potius ad antiquorum languo-
n atque inscitiam. Nam quid Macrum numerem?
us loquacitas habet aliquid argutiarum; (nec id
ien ex illa erudita Graecorum copia, sed ex libra-
lis Latinis;) in orationibus autem multas ineptias:
tio summam imprudentiam. Sisenna eius amicus

omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur: ut unum Clitarchum, neque praeterea quenquam de Graecis legisse videatur; eum tamen velle duntaxat imitari, quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc a te expectatur." Tum cap. 3 princ. ultima tempora sic scripta esse ait, ut ne legerentur quidem. Et in Bruto cap. 31: „Unum excipio Catonem, in quo perfectissimo Stoico summam eloquentiam non desiderem: quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse." Ita orator Cicero iudicat, sed etiam Livius in praefatione „scribendi arte rudem vetustatem" appellat. Deinde Velleius I, 17: „Historicos, ut et Livium quoque priorum aetati adstruas, praeter Catonem et quosdam veteres et obscuros, minus octoginta annis circumdatum aevum tulit." Postea vero veteres summi aestimati sunt, eorumque scribendi genus plerique sibi exemplum proposuerunt: M. Porcius Cato cum multa quidem venustate atque luce atque munditia verborum scripsisse dicitur (Gell. I, 23): (Servii) Fabii (Pictoris) annales bonae atque sincerae vetustatis libri appellantur (Gell. V, 4 § 1): tum praedicatur Pisonis simplicissima et rei et orationis suavitas (Gell. XI, 14), et Q. Claudius purissime atque illustrissime, simplicique et incompta orationis antiquae suavitate scripsisse traditur (Gell. XI, 14). Atque Seneca in epistola 114: „Multi ex alieno saeculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur: Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt." Tum in dial. de

orat. c. 18: „Num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur?“ Cap. 21: ‚Asinius, quanquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse.“ Sallustius vero et Tacitus casca verba dicendique formulas de industria quaerunt, pari modo Gellius etiam et Appuleius, ut ne dicam de pluribus. Hadrianus denique imperator peritissimus litterarum multisque grammaticis aliquanto doctior Coelium Antipatrum Sallustio praetulit, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium: cfr. Spartianus in Hadriano cap. 16.

Sed hac facta adumbratione de argumento nostro accuratius conemur et uberius dicere.

Iam sub regibus scribendi ars in usu fuit, quamquam non viguerunt historici qui res gestas describerent, sed leges tantum et foedera aliaque eiusmodi memoriae caussa notabantur. Ad talem usum adhibantur lapides, plumbeae tabulae (Plin. H. N. XIII, 11. Liv. annal. II, 69), vel aereae (Sueton. Vespas. c. 8. Dionys. IV cap. 26), clypea lignea (Dionys. IV c. 58), libri lintei (Plin. XIII c. 11. Liv. IV cap. 7 et Liv. VII, 20 medio: *in thorace linteo scriptum:* coll. Liv. XXXVIII, 38), pelles (Herodot. V, 58), σανίδες (Dionys. III, 67) quibus Servii Tullii leges perscriptae erant (Dionys. IV, 43). Monumenta autem in templis aut nobilium hominum domibus servabantur, eorumque saepius altera exemplaria extabant. Suetonius enim in Vespas. c. 8 extr.: „Ipse restitutionem capitolii aggressus, rudibus purgandis manus primus admovit, ac sue humero quaedam extulit: aerearumque tabularum tria milia, quae simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus, instrumentum veterii pulcherrimum ac vetustissimum: quo continebatur paene ab exordio Urbis Senatusconsulta, ple-

hispita de societate et foedere ac privilegio cuicumque concessis.“ Primum capitolium flagravit L. Scipione C. Norbano consulibus, quod restituendum Sulla curavit: cf. Tac. Hist. III, 72. Plin. H. N. VII, 44. Dio. Cass. XXXVII, 44. Sueton. in Caes. 15 init. in Vitell. c. 15 sub fin. Multa erant in Capitolio: cf. Liv. VI, 4. XXV, 39. XXVI, 24. Cic. Philipp. II, 36. Polyb. III, 26. Dionys. IV, 62. Plin. XXXV sect. 45. Solin. c. 8 — in aerario Saturni Liv. 39, 4. — in atrio Libertatis Fest. v. probrum — in aede Nympharum Cic. pro Milon. c. 27. p. Rabir. c. 2. p. Coel. c. 32. Parad. 4 sqq. Sed necesse nobis non est singula quaeque afferre, quae historicorum fontes non erant. Livius autem lib. VI cap. 1 ita ait: „— res cum vetustate nimia obscuras, velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod parvae et rarae per eadem tempora litterae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum; et quod, etiamsi quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine, velut ab stirpibus laetius feraciusque renatae urbis.“ Plutarch. in Numa pag. 59. Ab secunda autem ista urbis origine historias inceperunt Claudius Quadrigarius et Cornelius Sisenna, nolentes fortasse res incertiores repetere. Neque tamen putandum est post incensam urbem falsa tantum antiquiorum temporum monumenta (Plutarch. Numa init.) superfuisse: nam vera extitisse complaria, foedus docet primum inter Carthaginienses et Romanos ictum (apud Polyb. III, 22): vetusta deinde tabula, qua urbis conditae annus notatus erat (Dionys. I cap. 74): foederaque facta cum Porsenna (Plin. XXXIV, 14), et Gabinis (Dionys. IV cap. 58. Fest. in Clypeus) et Ardeatibus

Liv. IV, 7 Licinio Macro teste). Fortasse etiam in iis urbibus monumenta erant, quae Romanorum s gestas attingebant: certe Solinus libros Praeneinos commemorat, et Macrobius in Saturn. I cap. 12 udat Aricinorum et Praenestinorum fastos. Eiusodi autem fontes annalium confectores adhibuerunt l eosque saepius videntur provocasse, quam nos quim scimus: cf. Liv. IV, 7 et 20. XL, 29. Noti inde sunt commentarii regum (Cic. p. Rabir. 5) et leges regiae (Liv. VI, 1), sed perquam nuem materiem scriptoribus praebebant. Etiam alia mine tetus novimus scripta, ut Numae Pompilii ros (apud Livium XL, 29 Plin. XIII, 13), cuius ομνήματα citat Plutarchus in Marcell. c. 8. Deinde lli Hostilii leges, sine dubio perscriptas, commemot Tacitus in ann. XII, 8; tum Livius I, 32: „omnia *(sacra publica)* ex commentariis regis pontificem album relata, *(Ancus Marcius)* proponere in puco iubet.“ Sed mittamus haec et talia, dicamuse de uberioribus et iustis historicorum fontibus, ter quos prae ceteris eminent

Annales maximi sive commentarii pontiicum, quorum erant libri octoginta, diversi a libris ntificum, qui ritus continebant. De iis insignis los extat apud Ciceronem de orat. II, 12 § 52: „Erat im historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cuius i memoriaeque publicae retinendae caussa ab initio rum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem ximum, res omnes singulorum annorum mandabat teris pontifex maximus referebatque in album et oponebat tabulam domi, potestas ut esset populo gnoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nonantur.“ Publius ille Mucius pontifex factus est no 624. Livii verba, quae Ciceroni obstare videan-

tur, non magnum momentum habent: ita autem Canuleium tribunum dicentem facit IV, 3: „si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admittimur.“ Deinde statim urbe condita annales maximos institutos esse, nemo credet. Vopiscus autem post Romuli excessum eos conscriptos ac constitutos dicit, ita referens in Tacito cap. 1: „Post Romuli excessum, novello adhuc Romanae urbis imperio, pontifices, penes quos scribendae historiae potestas fuit, in litteras rettulerunt.“ Quando institui coepti sint, etsi divinare hodie nemo potest, tamen ante captam a Gallis incensamque urbem fuisse, declarat testimonium Livii VI, 1. Complexi autem Romanam historiam ab antiquissimis temporibus, copiosissimam scriptoribus materiem praebuerunt, quemadmodum postea Senatus populique acta, a Iulio Caesare primum confecta et divulgata: Sueton. Caes. cap. 20. De dicendi genere Cicero de legg. I, 2 nihil posse iis esse ieiunius [7]) dicit, idemque affirmat de orat. II, 12 § 53. Afferamus nunc locos aliquos, qui ad annales illos spectant. Apud Gellium II, c. 28 Cato dicit quarto Originum libro: „Non lubet scribere, quod in tabula pontificis maximi est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo, aut quid obstiterit.“ Cicero in Brut. cap. 14 § 55: „Possumus Appium Claudium suspicari disertum —; Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse

7) *ieiunius* l. l. satis certa emendatio est; vulgata lectio *iucundius* prorsus aliena, quanquam nacta patronum Goerenzium, qui multiplicem simplicitatem cum vetustate coniunctam, leporem (Gallice *naïveté*) annalibus illis conciliasse dicat. At Ciceronis sententiam non perspexit. Gellius ita fere de antiquis scriptoribus iudicat, Cicero contra.

ideatur.“ Gellius IV, 5 § 6: „Ea historia de haspicibus ac de versu isto senario scripta est in nnalibus maximis libro undecimo.“ Macrobius Sat. II, c. 2 extr. „Pontificibus permissa est potestas emoriam rerum gestarum in tabulas conferendi; et os annales appellant equidem maximos, quasi a pontificibus maximis factos.“ Diomed. lib. III: „Annas inscribuntur, quod singulorum fere annorum actus ntineant: sicut publici annales, quos pontifices scriseque conficiunt de Romanis, quod Romanorum res eclarant.“ Adhibuit pontificum commentarios auctor orig. gent. Rom.: cf. annotationem in vita Cincii limenti; tum fortasse intelligendi sunt apud Dionyum lib. VIII cap. 56 *αἱ τῶν ἱεροφαντῶν γραφαί* et cap. 73: *ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σζομένων ἕκαστός τις παραλαβὼν ἂν ἔγραψε.* Cf. Fest. Maxim. Serv. Aen. I, 373. III, 177. Plin. VIII, 57.

Deinde Libri lintei non multum diversi sunt libris magistratuum, sed diversos eos esse Lianus locus IV, 7 abunde declarat. Continebant ii agistratus, sed sine rerum gestarum explicatione storiarum propria, quod tamen non impedivit, quoinus eos adhiberent scriptores. Tubero et Licinius acer, et procul dubio alii complures, ut Cincius, iem monumenta investigasse traditum est. Commemontur autem a Livio, non tam sua diligentia niso, iam freto annalium confectorum auctoritate IV, 7 b finem: „idque monumenti est, consules eos illo no fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in oris magistratuum inveniuntur.“ Quo loco annales isci non sunt maximi, sed scriptorum opera. Et dem capite extremo: „Licinius Macer auctor est, in foedere Ardeatino, et in linteis libris ad Mone e inventa.“ Itaque Consulum nomina, omissa in

libris magistratuum, in linteis libris ad Monetae inventa sunt, ut diversos illos esse satis apparent. Liv. IV, 13: „nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter magistratus praefecti nomen.“ Liv. IV, 20: „quod tam veteres annales, quaeque magistratuum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores, nono post decumum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossum consulem habeant.“ Liv. IV, 23: „Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur: neuter, tribunos militum eo anno fuisse, traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet: et Tubero incertus veri est.“ Linteos libros significat fortasse Dionysius XI cap. 62: ἱερῶν καὶ ἀποῤῥήτων βιβλίων μαρτυρίαις.

Commentarii consulares laudantur a Varrone de L. L. lib. VI § 75 ed. Spengel. Tabulae censoriae ab eodem L. L. VI § 74 et a Livio XLIII, 16: „Censores extemplo in atrium Libertatis adscenderunt: et ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario et dimissis servis publicis negarunt, se prius quicquam publici negotii gesturos, quam iudicium populi de se factum esset.“ Dionysius IV, cap. 22 vocat τιμητικὰ γράμματα, et I cap. 74 τιμητικὰ ὑπομνήματα. Sed in his commentariis consularibus tabulisque censoriis, quemadmodum in quaestorum commentariis (Varro L. L. VI § 75 extr. ed. Spengel.), ritus potissimum, quod ex Varronis locis appareret, perscripti erant. Tum Quindecimvirorum

commentarii, citati a Censorino de die nat. cap. 17 res historicas continebant.

Commemorandae sunt hoc loco etiam laudationes. Laudatione mortuum exornare, mos Romanorum proprius est, de quo praeter Polybium lib. VI cap. 53 copiose disseruit Dionysius in Ant. Rom. lib. V pag. 291 ed. Sylburg., ambigens, num mortuo Bruto primum institutus mos sit a Valerio, an a regibus iam traditus: *εἰ μὲν οὖν Οὐαλέριος πρῶτος κατεστήσατο τὸν νόμον τόνδε Ῥωμαίοις, ἢ πάμπαν ὑπὸ τῶν βασιλέων παρέλαβεν, οὐκ ἔχω τὸ σαφὲς εἰπεῖν. ὅτι δὲ Ῥωμαίων ἐστὶν ἀρχαῖον εὕρημα, τὸ πομπὰς τὰς ταφὰς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἐπαίνους τῆς ἀρετῆς αὐτῶν λέγεσθαι, καὶ οὐχ Ἕλληνες αὐτὸ κατέστησαν τὸ πρῶτον, ἀρὰ τῆς ποιητῆς ἱστορίας οἶδα μαθών, ἣν ποιητῶν τε οἱ ἀλαιότατοι καὶ συγγραφέων οἱ λογιώτατοι παραδεδώκασιν.* Belli demum Gallici temporibus (a. u. c. 365) etiam matronis honos datus est, ut earum, sicut virorum, post mortem sollemnis laudatio esset (Liv. V, 50). Cicero de orat. II, 11 princ. mulierum Popiliae, Q. Lutatii Catuli matri, primum hunc honorem tributum esse putat. Perscriptae autem tradebantur ad posteros, erantque in manibus historicorum (Gell. XIII, 3 extr.). Sed de auctoritate earum ita queritur Cicero in Brut. cap. 16. „Et hercules, hae quidem exstant; ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. Quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunde-

rentur genus.“ Porro Livius lib. VIII cap. 40: „Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa; nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor extat, quo satis certo auctore stetur.“ Caesar in Iuliae amitae laudatione maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum esse dixit, quod a Venere Iulii essent, et ab Anco Marcio Marcii Reges, quo nomine fuit mater (Suetonius in Caes. cap. 6). Quo autem plures nobiles viri e gente evaserunt, eo magis fabulosa stirps facta est: gens enim Mamilia a Telegono originem deduxit, Cloelia ab Aeneae comite, pari modo Nautia, Caecilia, Iunia: gens Fabia ab Hercule, cf. Fest. v. Mamiliorum; Cloelia; Nautiorum. Varro fragm. pag. 252 ed. Bipont. Fest. Caeculus. Dionys. IV cap. 68. Plut. Fab. cap. 1. Fest. Fovii. Denique Suetonius in Vitellii cap. 1 ita narrat: „Extat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Augusti Quaestorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, et Vitellia, quae multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperasse“ sqq. Recitabant autem, vel postquam edidicerant, habebant orationem saepius pueri, ut Augustus duodecim (Sueton. c. 8. Quintil. XII, 6), Tiberius novem annos natus. Sed cum eiusmodi esset laudationum ratio, familiarumque inter sese aemulatio, multae videntur controversiae (Sueton. Tib. cap. 3) ortae, cui victoria vel triumphus tribuendus esset, ut anno 395. 432. 434. 441. Cf. Liv. VIII, 30. IX, 36. 44. X, 3. 9. 26. 27. 30. 37. 41. Ciceronis tamen tempore quam paucae ora-

nes funebres extiterint, declarant eius verba: „Et rcules, hae quidem extant!“

Sed praeter annales maximos, libros linteos, lauiones aliaque monumenta, non negligendae sunt, nquam multo minoris momenti, traditiones. s enim memoria aluntur, sermonibus crescunt, et erarum monumentis inveterascunt et corroborantur. smodi autem narrationes et carmina, quae in conis ad maiores celebrandos cantabantur, historicis uam, etsi exiguam materiem praebere potuerunt. nio teste in *Assa voce* ita scripsit Varro de vita uli Romani libro secundo: „In conviviis pueri lesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus lauerant maiorum, et assa voce et cum tibicine.“ Cic. Tuscul. I, 2: „Sero igitur a nostris poetae cogniti, vel recepti. Quanquam est in Originibus, os esse in epulis canere convivas ad tibicinem de orum hominum virtutibus.“ Deinde IV, 2: „Nam carminibus soliti illi *(Pythagorei)* esse dicantur raecepta quaedam occultius tradere, et mentes suas gitationum intentione, cantu, fidibusque ad tranitatem traducere, gravissimus auctor in Originidixit Cato, morem apud maiores hunc epularum e, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam rum virorum laudes atque virtutes.“ Valer. Max. , 10. Sed quotumquidque eorum quoque Ciceroempore extiterit, apparet ex Bruto cap. 19 § 75: ue utinam extarent illa carmina, quae multis dis ante suam aetatem in epulis esse cantitata gulis convivis de clarorum virorum laudibus, in nibus scriptum reliquit Cato!“ Neque Quinti- (instit. oratt. X, 2, 7) quicquam carminum hovidetur notum fuisse. Etiam naeniis mortui a re praefica laudabantur (Nonius in Naenia cf.

Cic. de legg. II, 24 extr.): verumtamen haec et similia aut nihil aut parum ad historiam fecerunt.

Iam vero de ipsis historicis dicere instituentibus nobis, commemorandi sunt aliqui Graeci, qui ante Romanos ipsos Romanorum historiam attigerunt. Dubitari omnino nequit, quin primum Graeci, qui erant in Italia inferiore ac Sicilia, Romanorum res gestas cognitas habuerint. Quanquam Hippys Rheginus Persicorum bellorum tempore, cuius affertur κτίσις Ἰταλίας, non videtur Romanorum mentionem fecisse: neque Herodotus eorum meminit [8]). Deinde nec Antiochum (cf. Syncelli chronogr. p. 155 init.), nec Philistum, nec Ephorum de hac historia admodum sollicitos fuisse, testis Plinius est, qui in Hist. Nat. lib. III cap. 9 Theophrastum primum externorum aliqua de Romanis diligentius scripsisse dicat. Idem harum rerum neminem ante Theopompum mentionem habuisse fatetur, etsi aliquanto ante Scylax Romae nomen accepit: cf. περιπλ. s. v. Τυῤῥηνοί. Deinde Heraclides Ponticus Gallos dixit ab Hyperboraeis venisse, et occupasse Graeciam urbem sqq., ut refert Plutarchus in Camillo cap. 22; ed. Francof. pag. 140 A: Ἡρακλείδης γὰρ ὁ Ποντικὸς, οὐ πολὺ τῶν χρόνων ἐκείνων ἀπολειπόμενος, ἐν τῷ περὶ ψυχῆς συγγράμματί φησιν ἀπὸ τῆς ἑσπέρας λόγον κατασχεῖν ὡς στρατὸς ἐξ Ὑπερβορέων ἐλθὼν ἔξωθεν, ἥρηκει πόλιν Ἑλληνίδα Ῥώμην ἐκεῖ που κατῳκημένην περὶ τὴν

8) A Syncello in chronogr. p. 153 sqq. de urbis origine Graeci auctores nominantur Κεφαλλίων ὁ Γεργήθιος συγγραφεὺς πάνυ παλαιὸς, Δημαγόρας Ἀγάθυμος, Δαμιαστὴς ὁ Σιγιεὺς, Ἀριστοτέλης, Καλλίας ὁ τὰς πράξεις τοῦ Ἀγαθοκλέους γράφων, Ξεναγόρας, ὁ Χαλκιεὺς Διονύσιος, Ἀντίοχος Συρακούσιος, Τίμαιος, Λαάς. Cf. Eusebii Chron. tom. I pag. 374 — 392 ed. Aucher.

μεγάλην θάλασσαν. Tum l. l. Aristotèles urbem a Gallis captam, sed a *Lucio* (pro *Marco* Camillo) servatam narravit. Verum quantum coniici potest, ipse ὁ φιλοῦτως in Politiis (Cic. de Fin. V, 4) Romanas res breviter absolvit, neque fortasse antiquissima tempora attigit, etsi Syncello teste (in chronograph. p. 154 B coll. Eusebii chron. tom. I p. 377 ed. Aucher) dixit de Troianis ad Opicae plagam appulsis. Theopompum vero primum omnium mentionem Romanarum rerum habuisse, Plinius testis est; Dionysius autem Hieronymum Cardianum, Antigoni magni laudatorem; Plutarchus denique Dioclem Pelurethium. Et Plinius quidem ita scribit III, 9: „Minus est, quod hac de re tradere hominum notitias possumus. Theophrastus, qui primus externorum alia de Romanis diligentius scripsit: (nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, Urbem duntaxat a Gallis captam dixit: Clitarchus ab eo proximus, legationem tantum ad Alexandrum missam:) hic non plusquam et fama, Circeiorum insulae mensuram prosuit stadia octoginta, in eo volumine, quod scripsit Nicodoro Atheniensium magistratu; qui fuit urbis nostrae CCCCXL anno.“ Deinde Dionysius, auctores suos nominans lib. I pag. 5 lin. 26: πρῶτον μὲν, ὅσα καλῶς εἰδέναι, τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν ἐπιδραμόντος Ἱερωνύμου τοῦ Καρδιανοῦ συγγραφέως, ἐν τῇ περὶ τῶν ἐπιγόνων πραγματείᾳ· ἔπειτα Τιμαίου τοῦ Σικελιώτου, τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱστοριῶν ἐν ταῖς κοιναῖς ἱστορίαις ἀφηγησαμένου, τοὺς δὲ πρὸς Πύρρον τὸν Ἠπειρώτην πολέμους εἰς ἰδίαν καταχωρίσαντος πραγματείαν· ὅσα δὲ τούτοις Ἀντιγόνου [9]) τε καὶ Πολυβίου, καὶ Σι-

9) Festus in Roma: *Antigonus Italicae historiae scriptor ait, Romum quendam nomine, Iove conceptum, urbem*

λητοῦ, καὶ μυρίαν ἄλλων, τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν οὐχ ὁμοίως ἐπιβαλόντων· ὧν ἕκαστος ὀλίγα, καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσκουδασμένως οὐδὲ ἀκριβῶς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνῳδὰς, ἀνέγραψεν. Cf. ibid. pag. 6 lin. 24. Denique Plutarchus in Romulo pag. 19 init. ed. Francof. (cap. 3) ταῦτα μὲν οὖν Προμαθίων [10]) τις, ἱστορίαν Ἰταλικὴν συντεταγμένος, εἴρηκε. Τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα, καὶ πλείστους μάρτυρας, τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος· ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθησεν. Et pag. 22 B: ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φαβίου λέγοντος καὶ τοῦ Πεπαρηθίου Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες. Etiam Festus in *Roma* Dioclis Peparethii meminit: „Diocles Peparethius ait Italiam Numitoris Albani regis filiam gemellos edidisse, quos in ima Tiberis ripa a Faustulo, regio ministro, expositos iuxta ficum appellatam postea a Romulo Ruminalem, sic iacentes Lupam lactasse, et picum Martium nutrisse. Post repertos Accam Laurentiam, Faustuli uxorem, educasse. Plerique tamen" sqq. Hunc Festi locum omnes, quod sciam, qui de Diocle disputarunt, omiserunt, licet saltem, id quod nonnulli negarunt, Dioclem Romanarum rerum scriptorem fuisse

con-

condidisse in Palatio Romae, eique nomen dedisse. Deinde Antigonum hunc Carystium, Timaei Siculi ferme aequalem, auctorem in Romulo exhibet Plutarchus pag. 28 B. ed. Franc. Τῶν δ' ἄλλα περὶ Ταρκητίας λεγόντων, ἀπίθανοι μέν εἰσιν οἱ Τατίου θυγατέρα τοῦ ἡγεμόνος τῶν Σαβίνων οὖσαν αὐτὴν, Ῥωμύλῳ δὲ βίᾳ συνοικοῦσαν, ἱστοροῦντες ταῦτα κομῆσαι καὶ καθεῖν ὑπὸ τοῦ καιροῦ· ὧν καὶ Ἀντίγονός ἐστι. Porro Athenaeus lib. II pag. 44 E.

10) Nihil praeterea de hoc scriptore attulit Vossius de hist. Graec. lib. III p. 408.

confirmet. Tum Athenaeus lib. II pag. 44 E: Διοκλῆ τε τὸν Πεπαρήθιόν φησι Δημήτριος ὁ Σκήψιος μέχρι τέλους ψυχρὸν ὕδωρ πεπωκέναι. Errasse de Diocle Plutarchum plurimi statuunt, tritam sententiam de eius erratis repetentes. Verum quidem esse concedimus, et maxime etiam propter argumentorum disertorum copiam contendimus, fabulas de urbe condita ceteraque vere Romanas esse, non fictas a Graecis, et a Romanis scriptoribus repetitas: at nulla inde emergit causa, cur Plutarchum, qui Dioclis Quintique Fabii Pictoris libros legit, ut malum auctorem prorsus speramus, ponamusque contra, Dioclem Fabii annales secutum esse, vel ex iis Latine, ut fingunt, scriptis, grassimas res (κυριώτατα) in Graecum sermonem translisse. Contra ille ante Fabium antiquissimum Romanorum historicum Romanam historiam (Ῥώμης κτίσιν) composuit, nihil nisi Romana monumenta et vulgatam famam secutus. Cum eosdem potissimum fontes haberet Quintus Fabius Pictor, factum est, ut eque eadem ferme narraret. Potuit etiam, quod statur Plutarchus, Graecum scriptorem facile consultare, quippe qui a Romanis tantum historiam cognitam habuerit. Atque etiam alii videntur Dioclem secuti esse, cum ait Plutarchus: ᾧ ΚΑΙ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθησεν. Ita mihi videntur acta se bene habere: nec vero testimonia veterum temere sunt repudianda et deridenda. Quid? si Fabius Dioclem auctorem exhibuit? Certe veterrimi scriptores saepius, quam nos quidem scimus, fontes suos indicarunt. Denique sine iudicio Romanos Diocli credidisse, in Plutarchianis verbis non inest; neque publicae periti viri de sua historia, quam sacrosanctam putant, Graeculo caeci fidem dabunt. Etiam Fabium, Dionysio teste (lib. I pag. 64 extr. ed. Syl-

burg.), ceteri secuti sunt: at consensus iste non tam in transscriptione inepta, quam in uno et eodem narrationis pervulgatae tenore, Romanorum sensuum maxime proprio, vertitur.

Sed de Graecis hactenus. Transeundum est nobis ad ipsos Romanos.

CN. NAEVIUS.

Punicorum bellorum tempore duo poetae rebus gestis tradendis excelluerunt Cn. Naevius, et Q. Ennius. Naevius Campanus Ennio antiquior bellum Punicum primum, in quo stipendia fecerat, Saturniis versibus cecinit. Gell. XVII c. 21 § 44 et 45: „Anno deinde post Romam conditam quingentesimo undevigesimo — — Cn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit; quem M. Varro in libro de poetis primo stipendia fecisse ait bello Punico primo; idque ipsum Naevium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit." Paucis annis post natum Ennium (a. u. c. 546 Q. Valerio et C. Mamilio Coss. Gell. XVII, 21) fabulam docuit: mortuus est autem anno 549, ut testis Cicero est in Bruto cap. 15 § 60: „At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo; quaestorque his consulibus M. Cato, modo plane annis CXL ante me consulem — — His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus; quanquam Varro noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Naevii producit longius." Cfr. Euseb. in Chron. ad olymp. CXLIV. Constat errare Ciceronem in Tuscul. lib. I cap. 1 extr. Res gestas noster inde a Troiae excidio brevius, sed bellum Punicum copiosius cecinit.

Carmen autem in scholis Grammatici interpretaban-
ur, ut ait Suetonius de illustr. gramm. c. 2, qui etiam
aec rettulit: „C. Octavius Lampadio Naevii Punicum
ellum, quod uno volumine et continenti scriptura
xpositum, divisit in septem libros.“ Principium li-
ri fuit:

„Quei terrai Latiai hemones tuserunt
Vires frudesque Poinicas fabor.“

ellius N. A. I, 24 servavit epigramma, quod sepul-
ro suo incidendum reliquit:

„Mortalis immortalis flere si foret fas:
Flerent divae Camoenae Naevium poetam.
Itaque postquam est Orcino traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier Latina lingua.“

ato apud Ciceronem de senectute cap. 14 dicit:
quam gaudebat bello suo Punico Naevius!“ Cicero
i Brut. cap. 19 § 75: „Tamen illius, quem in vati-
is et Faunis numerat Ennius, bellum Punicum, quasi
yronis opus delectat.“ Horatius in Epp. II, 1, 53:

„Naevius in manibus non est, et mentibus haeret
Paene recens? adeo sanctum est vetus omne poema.“

orro de eius fide ac ratione, qua res gestas tracta-
t, sunt, qui eum et Cincium, utpote plebeios homi-
es, res verius quam patricios scripsisse dicant, no-
rumque in nobilissimos civitatis viros invectum non
m patriciorum, quam universi populi gloriam cele-
asse contendant: cf. Gell. N. A. IV, 3. Euseb. in
hron. ad olymp. 144. Verumtamen gentium discri-
en illo tempore evanuerat, nec ad nostrum, sed ad
ium posterioris temporis Naevium illi saltem notis-
mi versus referendi videntur:

„Fato Metelli Romae fiunt Consules“

„Malum dabunt Metelli Naevio poetae.“

Nimirum Metellorum felicitas, de qua Velleius lib. II cap. 11 loquitur, incepit demum ab anno 611 (cf. Zumptius, qui primus rem docuit ad Cic. Verrin. Act. I c. 10 § 29).

Q. ENNIUS.

Hunc secutus Quintus Ennius est, ut Livius Andronicus semigraecus dictus (Suet. de ill. gramm. c. 1), Calabriae urbe Rudiis natus anno 515 (Cic. Brut. c. 18). Gellius in Noct. Att. XVII, 21 § 43: „Claudium et Tuditanum Consules sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius: quibus natum esse Q. Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit; eumque, cum septimum et sexagesimum annum haberet, duodevigesimum [1]) annalem scripsisse, idque ipsum Ennium in eodem libro dicere.“ Fecit stipendia: Romae autem, ut Livius, utraque lingua domi forisque ita docuit, ut Graeca interpretaretur, et Latine quae composuerat, praelegeret: Suet. de ill. Gramm. c. 1. Tum familiariter, ut constat, usus est summis rei publicae viris: Cornel. Cat. c. 1. Cic. de orat. II, 68. Brut. c. 20. pro Arch. 9 et 11. Tusc. I, 2. Denique mortuus est anno 585 homo septuagenarius (Cic. Brut. c. 20), habuitque statuam in sepulcro Scipionum positam: Cic. pro Arch. c. 9. Liv. 38 c. 56. Ovid. de art. am. III, 409. Valer. Max. VIII,

---

1) Alii *duodecimum annalem*. Ad ultimum annalium librum pertinet fortasse fragmentum apud Cic. in Cat. mai., ed. Hessel. pag. 126, ubi de semet ipso ita canit poeta:

„Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.“

). Plin. H. N. VII, 30. Solin. polyh. c. 7. — Diomedes lib. III pag. 480 ed. Putsch.: „Epos Latinum primus digne scripsit *Ennius*, is qui Romanorum gesta undeviginti complexus est libris, qui et Annales scribuntur.“ Annales eius hexametris versibus scriptos Q. Varguntеius Grammaticus certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: Suet. de ill. gramm. 2. Inceperat autem poeta inde a Troiae excidio: quum historiam absolvit tertio libro, in insecutis tribus rei publicae incrementa cecinit usque ad bellum Poenicum primum, quod a Naevio iam uberius descriptum (Cic. Brut. c. 19 extr.), uno tantum, id est sexto libro exposuit: in reliquis denique undecim libris sua tempora pluribus celebravit. Ipse vero Ennius in Annalium primo:

„Horrida Romuleum certamina pango duellum“

„Nam Latii populi res, atque poemata nostra
Cluvebunt.“

m in epitaphio suo ed. Hessel. pag. 161:

„Heic vostrum panxit maxuma facta patrum.“

intilianus in instit. oratt. X, 1 § 88: „Ennium sicut ros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia antiqua robora iam non tantam habent speciem, ntam religionem.“ Quod ad sermonem Ennii pert, Cicero ei verborum proprietatem tribuit de orat. 34 § 154. Horatius de arte poetica v. 56:

„— — cum lingua Catonis et Ennii
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit?“

Ovid. lib. I Amor. eleg. 15; lib. II Trist. Propert. III eleg. 2. Deinde Cicero de fide in Bruto cap. 15 .: „Quem vero extet, et de quo sit memoriae prom, eloquentem fuisse, et ita esse habitum, primus

est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor, et idoneus quidem, mea sententia, Q. Ennius; praesertim cum et ipse eum audiverit, et scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est, amicitiae caussa esse mentitum.“ Verum et parum hoc firmum fidei testimonium est, et una tantum de re, non de universa auctoritate dictum. Putandus est autem poeta Martiali ingenio praeditus Martis populum magnificentius decorasse. Tum peculiari carmine, Scipionis nomine inscripto, P. Cornelii Scipionis Africani superioris res gestas trochaicis versibus cecinit: Macrob. Sat. VI, 2 et 4. Gell. IV, 7. Porphyr. ad Horat. II, 1, 7. Hunc autem virum tantopere extulit, ut Homerum solum valere eius res decenter celebrare, Aeliano teste diceret (cfr. Suidas s. v. Ἔννιος). Denique ceterorum poetae librorum nomine tenus afferamus translationem Euhemeri historiarum (Lactant. de falsa relig. lib. I c. 11. 13. 14.), quarum tractatio a Romanorum ingenio non abhorret.

Q. FABIUS PICTOR.

Poetas illos sequantur historici, qui eodem ferme tempore floruerunt, Q. Fabius Pictor, et L. Cincius Alimentus. Eorum antiquior paullo est Fabius, C. F. C. N., appellatus a Livio I, 44 *scriptorum antiquissimus* et II, 40: *longe antiquissimus auctor*; a Dionysio παλαιότατος ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων (libri VII pag. 475), et (lib. I pag. 64 extr. ed. Sylburg.) auctor Lucii Cincii dicitur. Intelligendus est etiam apud Livium VIII, 30 *apud antiquissimos scriptores*, ubi mox nominatim affertur; IV, 7 extr. *in annalibus priscis;* VII, 9 *in vetustioribus*

nnalibus; III, 23 extr. *apud vetustiores scriptores;* VIII, 26 extr. *auctoribus dedi, quibus dignius credi st.* Etiam III, 4 init. laudatur secundum quorundam odicum auctoritatem. Videtur autem mihi extra dubitationem positum, neminem, qui pedestri oratione scripserit, historicum ante Quintum hunc Fabium inter Romanos floruisse. Deinde ita refert Dionysius Halicarnassensis in Antiq. Rom. lib. I pag. 5 lin. 37 ed. Sylburg.: Ὁμοίας δὲ τούτοις, καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν· ὧν ἴσμεν πρεσβύτατοι Κόϊντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους. Ab hoc nostro Quinto Fabio Pictore seiungendi sunt Servius Fabius Pictor et Numerius Fabius Pictor, uterque a Cicerone laudatus. Ac de illo quidem ita narrat in Bruto cap. 21 init. „Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus is, qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et litteratus et disertus fuit: et tenuit cum hoc locum quendam etiam Servius Fulvius, et una Servius Fabius Pictor, et iuris, et litterarum, et antiquitatis bene peritus.“ De altero autem M. Tullius in I de divinatione lib. cap. 21: „Hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est.“ Quinti autem Fabii nostri avus est Gaius Fabius, Marci filius, primus Pictor cognominatus, de quo C. Plinius in Hist. Nat. XXXV, 4 haec memoriae prodidit: „Apud Romanos quoque honos mature huic *(scl. pingendi)* arti contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis: princepsque eius cognominis ipse aedem Salutis pinxit anno urbis conditae CCCCL:

quae pictura duravit ad nostram memoriam, aede Claudii principatu exusta.“ Huic Gaio Fabio, M. F., Pictori, duo filii erant: unus *C. Fabius, C. F. M. N. Pictor*, quaestor militaris a. u. c. 475; aedilis curulis a. 480; praetor a. 483; consul a. 485 cum Q. Ogulnio Gallo, annis 35 postquam Salutis eadem pater pinxerat: alter C. Fabii filius (cf. Valer. Max. lib. IV cap. 3) erat *Numerius Fabius Pictor, C. F. M. N.*, quaestor militaris anno 478; aedilis curulis a. 483; praetor a. 486; consul a. 488 cum D. Iunio Pera; qui filium habuit *Numerium Fabium Pictorem*, anno 510 quaestorem provincialem. Horum alterum, fortasse filium, Cicero de divinatione lib. I cap. 21 significasse putandus est. In Pictorum autem familia litterarum studium viguit, ut in Nobiliorum et aliarum complurium (Cic. Brut. cap. 20 § 79). De Fabiorum genere et nomine vide Plutarchum in Fabio Maximo init.

Sed mittamus hoc loco Numerium Serviumque Fabios, de quibus post nobis disserendum sit, redeamusque ad Q. Fabium historicum antiquissimum.

Quintus igitur Fabius, C. F. C. N., gentilis et amicus Cunctatoris, interfuit bello Gallico (Eutrop. III, 5. Oros. IV, 13. Plin. X, 24. Polyb. II, 23) et Punico secundo. Proquaestor fuit a. u. c. 535, Polybio teste (III, 9 § 4) τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων. Quando mortuus sit, ignotum est. Nam qui praetor fuit in bello, quod cum Antiocho gestum est (cf. Liv. XXXVII, 40. 50. 51.), quique obiit a. u. c. 587 Q. Aelio Paeto, M. Iunio Penno Consulibus, duobus annis post Q. Ennii mortem (Liv. XLV cap. 44), a T. Livio flamen Quirinalis dictus, ille, inquam, etsi fuerunt, qui antiquissimum historicum putarent, tamen mihi cum Vossio videtur esse pater

vii Fabii Q. F. Q. N. Pictoris, a Cicerone in Bruto p. 21 princ.) laudati. Apertum est autem, quanto honore apud aequales noster fuerit, de quo testimonium hoc addi potest, quod Livio teste (XXII, 57), t pugnam Cannensem a. u. c. 538 „Delphos ad culum missus est sciscitatum, quibus precibus supiisque Deos possent placare, et quaenam futura is tantis cladibus foret.“ Eadem de re Appianus bello Hannibal. cap. 27 pag. 329: Ἡ δὲ βουλὴ Κόϊνμιὲν Φάβιον, τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, ἐς φοὺς ἔπεμπε χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων. Et Lis XXIII, 11 init.: „Dum haec geruntur, Q. Fabius ctor legatus a Delphis Romam rediit, responsume ex scripto recitavit“ sqq. Pari modo de honore auctoritate, qua inter aequales floruerit, testantur olybiani loci I, 14 § 2: ἐκόντας μὲν οὖν ἐψεῦσθαι ὡς ἄνδρας (Fabium et Philinum) οὐχ ὑπολαμβάνω, ɔχαζόμενος ἐκ τοῦ βίου καὶ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν. Et I, 9 § 4: ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήνντες, ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα, καὶ λαβόντες ἐν ', διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε, καὶ τοῦ ɔνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων, πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν.

Perscripsit noster res gestas populi Romani inde Aeneae adventu, urbeque condita usque ad suam tatem; sed in quo anno desierit, dici nequit; auor tamen affertur a Livio (XXII, 7) de proelio ad rasimenum pugnato (a. u. c. 537), videturque etiam ox insecuta tempora enarrasse. Dionysius autem al. Ant. Rom. l. I p. 5 extr. de Q. Fabio et L. incio ait: τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν ὑτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως ɛνόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε. Atque hoc in uni-

versum non solum de Fabio Cincioque, sed etiam de omnibus veteribus historicis sine dubio vere dictum est; sed tamen fatendum est, id quod neutiquam Dionysii sententiae obstat, in Fabii fragmentis fabulas multo copiosius explicatas esse, quam Livium aliosque historicos exposuisse videmus. Cf. Dionys. lib. I pag. 64 sqq. Ceteri loci, quos possis laudare, Nicolai Damasc. (ed. Orelli p. 70), Diodori (t. IV p. 21 ed. Schweigh.), Arnobii VI, 7, Plinii XIV, 13, hi, inquam, loci num ad Quintum Fabium Pictorem pertineant, mihi quidem non satis videtur exploratum esse. Speciem annalium ita etiam servavit, ut in antiquioribus rebus annorum numeros adderet, quemadmodum Sabinas quarto urbis mense raptas narravit; cf. Plutarchi Romul. cap. 14, sive ed. Francof. pag. 25 B. Aera autem urbis conditae, qua usus est, a Catoniana quinque ferme annis discrepat.

Iam ut plenius dicatur de sermone, quo sit in conficiendis annalibus usus, ex Ciceronis locis de orat. II, 12 (ubi est *Pictor*) et de legg. I, 2 (quo loco *Fabius* nominatur) Latine *Fabium Pictorem* scripsisse satis elucet. De eodem, hoc est de *Fabio Pictore*, rem conficit Quintilianus, qui in instit. oratt. I, 6 § 12 ita scribit: „Lupus masculinum, quanquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, Lupum feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus.“ Tum Latina verba ex *Fabii, Pictoris* rerum gestarum libris affert Nonius s. v. Picumnus. Denique Gellius in Noct. Att. V, 4 ex *Fabii*, quem vocat, annalibus aliqua Latine scripta ad verbum rettulit. En Dionysius difficultatem movet, qui in lib. I pag. 5 extr. sic dicat: Ὁμοίας δὲ τούτοις, καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν· ὧν εἰσι πρεσβύ-

οι Κόϊντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ
; Φοινικοὺς ἀγωνίσαντες πολέμους. Scisse Quintum
ium Graece scribere, fuisseque Graecarum litte-
ım peritum, quis est, qui dubitet, praesertim cum
mpiadas (Solin. c. 2) et talenta (Liv. I, 55) no-
it, legatusque Delphos ad oraculum missus sit?
od Dionysius quidem (lib. I pag. 65 init.) et olym-
das et stadia auctore Fabio affert, videri forsitan
sit numerum ad suam computandi rationem ver-
e. Graeco eum sermone scripsisse, praeter Dio-
ium nemo ait, ne Cicero quidem, qui id plerum-
accurate animadvertat, ut ei res, si non mira, at
atu digna fuisse videatur. Nec vero quisquam ve-
ım utraque eum lingua annalium libros de iisdem
us gestis composuisse testatur, quod, si fecisset,
o quidem iudicio sine ulla dubitatione unus et alter
i plane novam et inauditam memoriae prodidisset.
va autem res fuit, cum qui modo secuti sunt, Graece
ipserint, Cincius, Numerius Fabius, Scipio, Acilius
brio: Latine demum ceteri, de quibus constat, inde
Catone. Deinde historicorum veterum alii Latine,
ıece alii scriptitarunt; at quis unquam audivit scri-
rem ullum easdem res tractasse duobus volumini-
diversis, uno Latine, altero Graece confecto? Pu-
ıs quidem Rutilius Rufus, nec alius quisquam ve-
ım, vitam suam Latine, historiam Romanam Graece
ıposuit: at vero diversa ea res est, praesertim cum
oriam, quantum videtur, ab urbe condita incepe-
in eaque de suo tempore talia necessario narra-
quae in vita ne tangenda quidem erant. Noli
em A. Postumium Albinum obiicere, de cuius hi-
iis magna obscuritas est, ut suo loco exponemus
ıratius: Graece enim A. Postumium historiam
psisse, luculenti testes tradiderunt, quaeque ex

Postumii Albini annalibus Latina verba laudantur, ea videntur ad alium scriptorem referenda esse. De antiquissimo igitur historico, cuius a veteribus non ita raro facta mentio est, inaudita eiusmodi res, quae nullis nititur firmis argumentis, proponi nequit. Nec vero possis contendere Quintum Fabium scripsisse et annales antiquiorum temporum, et suae aetatis historias vel potius commentarios (βίβλους ὑπομνήσεως Polyb. III, 9 § 3), eorumque librorum unum Graece, Latine alterum conscriptum fuisse. Hoc qui de Quinto Fabio Pictore suspicantur (suspicantur, inquam, nam plane certum testimonium non extat), in rem suam vertunt diversorum Fabiorum annalium diversas inscriptiones, imprimisque eam, quam exhibet Polybius. Deinde etiam Dionysium torquent, qui Quintum Fabium vetusta tempora κεφαλαιωδῶς, id est summatim vel capitulatim, sua vero (in commentariis, aiunt, sive ἐν βίβλοις ὑπομνήσεως a Polybio citatis) ἀκριβῶς scripsisse dicat. At id non dixit de uno Q. Fabio, dixit etiam de L. Cincio. Neque illud κεφαλαιωδῶς quadrare putant in Q. Fabii annales de antiquis temporibus scriptos, quoniam Livio, Dionysio ceterisque testibus, vetustas res copiosius exposuerit, quam ceteri annalium confectores, nunc quidem superstites. Quamobrem Q. Fabium aut his annales inde ab urbe condita composuisse et Graece et Latine, aut Latine tantum contra Dionysii testimonium, aut duorum librorum (annalium et commentariorum) unum Graece, alterum Latine. Sed de his sententiis partim dictum est, partim post dicetur: nunc vero agamus de annalium et commentariorum ista diversitate. Dionysius, ut ipse ait, Graecum Quinti Fabii de antiquis temporibus librum adhibuit, unde, si urgeres titulum βίβλων ὑπομνήσεως, nihil sequi posse videretur (quamquam vere

illud ipsum quidem), nisi suae aetatis commentarios bium Latine fortasse scripsisse. En Quintilianus, llius, Nonius obstant, qui ipsius Fabii Pictoris (non *inti* Fab. Pict.) Latina verba exhibent de historia nporum antiquissimorum. An antiquas res Latine ipsit, commentarios Graece? Diserte recteque oblo- itur Dionysius. Sed meo iudicio Dionysianum illud παλαιωδῶς nihil est, nisi Graeculi verbositas, cum ceptis orationibus et ratiocinationibus, vix quicquam perpauca, copiosius, quam Q. Fabius aut exposue- aut exponere etiam potuerit. Ac nihil opinor onysius sensit, nisi in uno et eodem libro Quintum bium antiquas res brevius enarrasse, quam quibus itis ipse interfuerit. Tum si ex Dionysii verbis παλαιωδῶς et ἀκριβῶς) in duos Q. Fabii libros con- tura facienda est, quae fieri aliequin etiam nequit, e mirari mihi videor, quid sit, cur diversos libros i nominarit. Deinde etiam Cincium videri Diony- teste duos libros scripsisse oportet vel potius ne- se est, cum non de Quinto solum Fabio sed etiam L. Cincio ita statuerit. Verum ut dicam, quomodo se habeat, Polybius ipsos Q. Fabii annales in- exit, ac minus accurate, quod solet fieri a scripto- is, βίβλους ὑπομνήσεως appellavit. Si non est ita, ganus Fabium etiam tertium librum, Hannibalica, ipsisse, quae pars fuit annalium, testemque affera- Appianum in Hann. cap. 27. Nihil dico de *bii annalibus* Gellianis (V, 4), nihil de *Fabii toris rerum gestarum libris* a Nonio s. v. Pi- nus citatis, quos possis eodem iure quartum quin- que Q. Fabii opus historicum dicere. Porro etiam, d videtur non minus certum, de translatione annalium ianorum, sive Graeca sive Latina, cogitari nequit, i et testimonia plane desint, et eiusmodi opinione

res difficultate non tam liberetur, quam implicetur. Certe Claudium quendam annales Aciliianos ex Graeco in Latinum sermonum vertisse, Livius XXV, 39 et XXXV, 14 diligenter animadvertit, eaque videtur historiarum Graece conscriptarum omnino prima translatio esse. Denique, etiamsi Quintus Fabius (id quod nullo ego modo concedo) utraque lingua diversis nimirum temporibus annales confecerit: tamen nulla inde caussa enascitur, cur apud Ciceronem de divinatione lib. I cap. 21 *Quinti*, non *Numerii Fabii*, quem vocat Tullius, Graecos annales intelligamus, ut pingui Minerva cum Dionysio Cicero consentire cogatur. Immo vero aic αἴνιγμα augetur, non solvitur; nec vero ullum huius lectionis vestigium in codicibus inest. Utinam adessent, qui litem dirimerent, Servius et Caesar, emunctae mehercule naris homines! (Cic. ep. ad Div. IX, 16 § 6). Sed fortasse sine illorum sagacitate, testimoniis veterum accuratius examinatis res ita expediri potest. *Quintum Fabium* Graece scripsisse Dionysius testatur (lib. I pag. 5 extr. coll. pag. 64 extr.), qui cum auctorem eum habuerit, errasse putandus non est: testimonia vero, quae dicuntur Latine eum scripsisse arguere, Ciceronis, Quintiliani, Gellii et Nonii locos dico, in quibus non diserte Quintus *Fabius Pictor*, nec Quintus *Fabius*, sed *Fabius* tantum, vel *Pictor*, vel *Fabius Pictor* laudatur, referri fortasse possunt vel debent potius ad Fabium Pictorem eum, qui Nenio teste et rerum gestarum libros Latine scripsit, et de iure pontificio libros composuit, quod quidem alterum *Quinti* Fabii aetate, ut de L. Cincio Alimento disputantes quidam recte viderunt, nemo nec voluit, nec etiam potuit. Verum haec de Cincio dicentes, uberius edisseremus; nunc afferatur Nonius, locupletissimum testem, qui prae

teris sententia nostra nititur. Is autem s. v. Picumus ita scripsit: „Fabius Pictor rerum gestarum ro primo: Et simul videbant picum Martium. Idem ro iuris pontificii tertio: Pilumno et Picumno.“ elligo autem in Nonii loco Servium Fabium Pictorn a Cicerone in Brut. cap. 21 laudatum. Accedit sententiam nostram, quod Dionysius Latine Quinn Fabium scripsisse nullo loco nec testatur nec nificat, quodque Cicero bis (de orat. II, 12 § 51 53: non tamen de legg. I cap. 2, nimirum quod aequalis Catonis) *Pictorem*, quem dicit, post Caem posuit, ut aequalis M. Porcii, non longe antissimus auctor, ut ait Livius, intelligendus esse vitur. Atque huic ipsi rei, quamvis minoris momenti videri possit, certe dandum est aliquid, cum in ninandis pluribus historicis veteres temporum orem iustum plerumque secuti sint. Varia tamen ninum collocatio accidit in Pisone, Fannio, Antiro aequalibus: Cic. de legg. I, 2. Brut. c. 26 et porro in Cincio et *(Quinto)* Fabio *(Pictore)* d Solinum cap. 2 et Syncellum in chronograph. . 155; tum missis aliis in C. Macro et L. Sisenna d Cic. de legg. I, 2 et Brut. c. 64 et 67. Deinde Quintus noster Fabius Graece scripsit, facile peritur, cur per talenta (Liv. I, 55) pecuniam numet ac secundum stadia computarit, afferatque annos npiadum. Sane Livii locus (I, 55 extr.), etiam mi (cap. 2) et Syncelli (pag. 155), prae ceteris nysii testimonium valde confirmat; neque minus ior ipsius Dionysii locus ille (lib. I pag. 6 extr.), auctores suos nominans, sed eos solummodo, qui ine scripserant, auctorem dicit Fabium Maximum, Quintum Fabium Pictorem semigraecum. Recens vero Fabii, vel Picteris vel Fabii Pictoris fra-

gmenta ad Quintum Fabium Pictorem omnia rettulerunt, non ulla de caussa alia, nisi quod sine dubio nobilissimus ille historicus intelligendus esset. Ita vero ratiocinati varias et inter sese diversas coniecturas protulerunt, unum alterumve testimonium veterum ut ineptum reiicientes, vel mirabilia etiam in lucem proferentes. At quis quaeso veterum Quintum Fabium Fabiorum nobilissimum scriptorem dixit? Utinam nobilitatis huius argumenta attulissent! Scilicet omnia ad hunc unum referentibus videbatur esse pernobilis. Nec vero Gellius, qui V, 4 Fabii annales bonae atque sincerae vetustatis libros vocet, movere nos poterit, ut Quintum Fabium antiquissimum scriptorem intelligamus, clarissimumque putemus, cum eodem ferme nomine ab eodem auctore collaudentur Quintus Claudius (IX, 13) Luciusque Piso (XI, 14). Similiter autem, ut post videbimus, recentiores de fragmentis, quae Cincii nomen habent, iudicarunt. Denique haec de Fabiis sententia nostra valde se ideo commendat, quod posita ea nulli veterum testimonio fides derogatur, nec novae et inauditae res proferuntur. Omnisque omnino hoc modo diluitur difficultas, nisi quibus Fabiis pauca quaedam fragmenta recte tribuamus. Dubium tamen mihi non est, quin *Quinto Fabio Pictori* ea sint vindicanda, quae exhibent Polybius, Livius, Dionysius, Plutarchus, Eutropius, Orosius, Solinus et Syncellus de anno urbis conditae disputans. Ad *Servium Fabium Pictorem* refero, quae laudantur a Quintiliano, Gellio, Macrobio, Festo, Nonio, Servio ad Georg. I, 21. Hunc significat etiam Cicero de orat. II, 12 bis, et de legg. I, 2. Quamquam, quae Gellius exhibet (V, 4) ex annalibus, cum Fabium simpliciter auctorem nominet, facile etiam ad Fabium Maximum referre possis. Sed suo loco de hac re plura. Tum quae afferunt Strabo,

Strabo, Diodorus, Nicolaus Damascenus, Plinius, Servius in XII Aen. v. 603, Arnobius, Suidas, Syncellus altero loco, auctorque libri de origine gentis Romanae, cui tribuenda sint, nolo discernere, quamvis si non omnibus illis, at plerisque locis Quintum Fabium intelligendum suspicer. *Numerio Fabio Pictori* unum locum Ciceronianum tribuo de divinat. lib. I cap. 21. Quarto loco *Quintus Fabius Maximus Servilianus* Pontifex a Servio, Macrobio, Prisciano satis diserte citatur. Denique *Fabium grammaticum* intelligo apud Victorinum: certe talia de re grammatica Quintum Fabium antiquissimum historicum non potuisse scribere, ex iis, quae de Cincio dixi, manifestum est. Sed fragmenta, quae ignoravi, ad quem recte referenda essent, statim post Quinti Fabii reliquias transscripsi. Noli autem veteribus ita magnopere succensere, quod inter Fabios non ubique accurate distinxerunt: illi enim multo facilius, quam nobis licet, iustum scriptorem intellexerunt, et a recentiorum in eiusmodi fere rebus notandis exquisita diligentia abhorrent. Nec vero, quod Cicero Servii Fabii annalium non meminit, ad labefactandam sententiam meam argumentum afferri potest, cum nec L. Libonis (Brut. c. 23 extr.), nec C. Tuditani (Brut. c. 25 § 95), nec P. Rutilii (Brut. c. 30) nec Q. Aelii Tuberonis (Brut. c. 31), aliorumque complurium historias commemoret. Quanquam fateor, *Servium* Fabium, cum non firmum testimonium afferre liceat, verum esse auctorem credas necesse non est; necesse est autem horum annalium scriptorem nec Quintum nec Numerium existimari. Deinde nostra probata sententia putari facile potest Dionysius Quintum et Servium Fabios distinxisse, cum Quintum Fabium Graece scripsisse dicat: pari modo etiam Livius, di-

cens eum longe antiquissimum auctorem, et aequalem temporibus huiusce belli; porro Eutropius scribens: traditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit; item Orosius, qui eadem ferme adiiciat. Verumtamen haec, ut minimi momenti, nolo urgere, neve pluris tu facias. Denique historicorum omnium, quorum extat memoria, si Naevium Enniumque exceperis, ut sunt hoc loco excipiendi, nemo ante Catonem Serviumque Fabium, aequales, patrio sermone res gestas consignavit, ut, deficientibus testimoniis, ne Quintus quidem Fabius videri debeat. His rebus expositis verum titulum Q. Fabii annalium ignorari perspicitur, cum qui adhibuerint, librorum indicem non accurate nominarint.

Restat, ut dicendum sit de historici nostri auctoritate. Livius eum ita interdum auctorem exhibet, ut permagni facere videatur: cf. imprimis lib. I cap. 55 et lib. XXII cap. 7. Dionysio teste plures illum antiqui historici secuti sunt, qui fidei nomine ab ipsis veteribus saepius celebrantur: Antiq. Rom. lib. I pag. 64 extr. ed. Sylburg: Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν. Ipse vero Dionysius interdum eius fidem exprobrat, ut lib. IV pag. 211 et IV pag. 234, ubi reprehendit τὸ ῥᾴθυμον αὐτοῦ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῶν χρόνων. Aliis tamen in locis summis laudibus effert: lib. VII pag. 475 lin. 9: Καίτοι Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος, καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας· παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων, καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω, παρεχόμενος. Contra Polybius valde in eum invehitur lib. I, 14 et 58; III, 8 et 9 quos locos postea integros transcribemus. Recentiores

vero modo Fabio modo Polybio longis disputationibus fidem derogantes, videntur mihi fluctus, quod aiunt, in simpulo excitasse. Ab errore enim se alienum esse nemo contendet; Polybius autem ut in aliis rebus: ita etiam in scriptorum auctoritate ponderanda et examinanda nimis severus iudex est, omnineque non sine aliquo lectorum fastidio in tritis ac vulgaribus ratiocinationibus et auctoribus reprehendendis commorari solet. Sed tamen omnium, quos fidei nomine reprehendit, Fabio maxime pepercit. Iam vero ipse Polybius lib. I c. 14 § 2 de Fabio ac Philino fatetur: ἐκόντας μὲν οὖν ἐψεῦσθαι τοὺς ἄνδρας οὐχ ὑπολαμβάνω. Et XII c. 7 § 5: δεῖν τοῖς μὲν κατ' ἄγνοιαν παραπαίουσι τῆς ἀληθείας διδόναι συγγνώμην. Tum I, 14 prine. Fabium ait de bello Punico primo videri ἐμπειρότατα scripsisse, saepeque etsi non confitetur, eius potissimum auctoritate nisus est. Negandum tamen non est, id quod Romano homini, eique patricio, non magnopere imputari velim, amore eum in populares ductum cum ceteris Romanis historicis populi facta gentemque Fabiam satis celebrasse; verum ne in eiusmodi quidem laudibus iniustiorem eum fuisse, fidem faciunt ea, quae Livio teste VIII, 30 de Fabio Rulliano narraverat. Luculentum vero fidei et auctoritatis testimonium est, quod plurimi scriptores hunc sibi maxime auctorem elegerunt, inter quos est etiam, quem nondum nominavimus, Plutarchus, qui ad auctoritatem eius provocat in Romulo pag. 19 A. p. 22 B. p. 25 B. ed. Franc., dicitque duobus locis prioribus, auctorem nostro fuisse, quo de supra (pag. 32) egimus, Dioclem Peparethium.

Q. FABII PICTORIS FRAGMENTA.

Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori octava, Nepoti et Lutatio opinionem Eratosthenis et Apollodori comprobantibus, olympiadis septimae anno secundo: Pomponio Attico et Marco Tullio olympiadis sextae anno tertio. *(Solinus Polyhist. cap. 2.)*

Φάβιος δὲ Κόϊντος ἀρχομένης ἡ. ὀλυμπιάδος. Πόρκιος δὲ Κάτων ἀνὴρ φιλάπονος περὶ συναγωγὴν τῶν ἀρχαιολογουμένων ἱστοριῶν, μετὰ τὰ Τρωϊκὰ χρόνοις ὕστερον υλβ'. *(De A. U. C. Georgius Syncellus in chronographia pag. 155 ed. Venetiis a. 1729. Cf. in fragm. Cincii locos ex Eusebii chron. et ex Dionysii lib. I pag. 60.)*

Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque, ludis intermissis, Instaurativi constituti sunt *cet. (Cicero de Divinat. I cap. 26. Cf. fragm. Coelii.)*

Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων, Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει, ὡς κελεύσαντος Ἀμυλλίου τὰ βρέφη λάβοντες ἐν σκάφῃ κείμενα τῶν ὑπηρετῶν τινες, ἔφερον ἐμβαλοῦντες εἰς τὸν ποταμὸν, ἀπέχοντα τῆς πόλεως ἀμφὶ τοὺς ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους *cet. (Dionysius Halicarnass. lib. I pag. 64 extr. et 65 init. edit. Sylburg. cap. 79.)*

Ὁ μὲν οὖν Ῥῶμος ἐπὶ τοῖς πολεμίοις γενόμενος οὕτως, εἰ?, ὡς ὁ Φάβιος παραδέδωκε, δέσμιος εἰς τὴν Ἄλβαν ἀπήγετο. *(Dionys. Hal. lib. I pag. 67 lin. 30*

ed. Sylburg. cap. 80. *Coll. Plutarch. in eius vita pag.* 21 *edit. Francof. cap.* 7.)

Τετάρτῳ δὲ μηνὶ μετὰ τὴν κτίσιν, ὡς Φάβιος ἱστορεῖ, τὸ περὶ τὴν ἁρπαγὴν ἐτολμήθη τῶν γυναικῶν. *(De raptu Sabin. Plutarchus in Romulo pag.* 25 *B edit. Francof.)*

Διεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν, ὡς μὲν Φάβιός φησιν, εἰς μοίρας ἓξ καὶ εἴκοσιν, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλὰς, καὶ τὰς ἀστικὰς προστιθεὶς αὐταῖς τέτταρας, τριάκοντα πεποίηκε φυλὰς ἀμφοτέρων. *(Dionys. l. IV p.* 220 *lin.* 8 *ed. Sylburg. c.* 5.)

Ἐνταῦθα πάλιν ἀναγκάζομαι μεμνῆσθαι Φαβίου, καὶ τὸ ῥάθυμον αὐτοῦ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῶν χρόνων ἐλέγχειν. ἐπὶ γὰρ τῆς Ἀρούντα τελευτῆς γενόμενος, οὐ καθ' ἓν ἁμαρτάνει μόνον, ὃ καὶ πρότερον ἔφην, ὅτι γέγραφεν υἱὸν εἶναι Ταρκυνίου τὸν Ἀρούνταν. ἀλλὰ καὶ καθ' ἕτερον, ὅτι φησὶν ἀποθανόντα ὑπὸ τῆς μητρὸς Τανακυλίδος τεθάφθαι. *(Dionys. IV pag.* 234 *lin.* 20 *ed. Sylb. cap.* 30.)

Αὐτὴν *(Tarpeium)*, ὡς μὲν Φάβιός τε καὶ Κίγκιος γράφουσιν, ἔρως εἰςέρχεται τῶν ψελλίων, ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοισιν ἐφόρουν, καὶ τῶν δακτυλίων. *(Dionys. lib. II pag.* 105 *lin.* 34 *cap.* 38)

Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιόν τε καὶ Κίγκιον οὐδὲν τοιοῦτον λέγουσι γεγονέναι, ἀλλὰ φυλάξαι τὴν κόρην διαβεβαιοῦνται τὰς περὶ τὴν προδοσίαν συνθήκας. *(Dionys. II p.* 106 *lin.* 22 *cap.* 39.)

Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιον ἐπὶ τοῖς Σαβίνοις ποιοῦσι τὴν τῶν ὁμολογιῶν ἀπάτην. δεὸν γὰρ αὐτοὺς τὸν χρυσὸν, ὥςπερ ἡ Τάρπεια ἠξίου, κατὰ τὰς ὁμολογίας ἀποδιδόναι, χαλεπαίνοντας ἐπὶ τῷ μεγέθει τοῦ μισθοῦ, τὰ σκεπαστήρια κατ' αὐτῆς βάλλειν, ὡς ταῦτα, ὅτε ὤμνυσαν, αὐτῇ δώσειν ὑποσχομένους. *(Dionys. lib. II pag.* 107 *lin.* 3 *ed. Sylb.)*

Βούλομαι δ' ἐπιστήσας τὸν ἐξῆς λόγον, ἀποδοῦναι τὰς αἰτίας δι' ἃς οὔτε Φαβίῳ συγκατεθέμην, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἱστορικοῖς ὅσοι γράφουσιν υἱοὺς εἶναι τοὺς καταλειφθέντας παῖδας ὑπὸ Ταρκυνίου, ἵνα μή τινες τῶν ἐκείνοις ἐντυχόντων ἱστορίας σχεδιάζειν ὑπολάβωσιν, οὐχ υἱοὺς ἀλλ' υἱωνοὺς αὐτοὺς γράφοντα τοὺς παῖδας. πολυπόνως γὰρ ἀπερισκέπτως καὶ ῥᾳθύμως οἱ συγγραφεῖς αὐτῶν τοῦτον ἐξενηνύχασι τὴν ἱστορίαν, οὐδὲν ἐξητακότες τῶν ἀναιροῦντων αὐτὴν ἀδυνάτων τε καὶ ἀτόπων· ὧν ἕκαστον ἐγὼ παράσομαι ποιεῖν φαυλοτέρως δι' ὀλίγων. *(Dionys. lib. IV pag.* 211 *lin.* 16.)

Τοῦτον τὸν ἄνδρα *(Tarquinium Collatinum)* Φάβιος μὲν υἱὸν φησιν Ἠγερίου. *(Dionys. IV p.* 261 *lin.* 32 *ed. Sylburg. cap.* 64.)

Ἐγὼ δὲ, ἵνα μή τις ἀπιστῇ τὴν πίστιν εἶναι ταύτην ὑπολάβῃ, εἴτε καὶ' ἐκείνην τὴν ἀπίθανον ὑπόληψιν, ὅτι πάντας τοῦ Ἑλληνικοῦ κρατήσαντες, ἀσμένως ἂν τοὺς κρείττους μετέμαθον ἔθη, τῶν ἐπιχωρίων ὑπεριδόντες, ἐξ ἐκείνου ποιήσομαι τοῦ χρόνου τὴν τέκμαρσιν, ὅτε οὔπω τὴν τῆς Ἑλλάδος εἶχον ἡγεμονίαν, οὐδὲ ἄλλην διακόπτιον οὐδεμίαν ἀρχὴν, Κοΐντῳ Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος, καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας· παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων, καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω, παρεχόμενος. *(Dionys. VII p.* 475.)

Φάβιος δέ φησιν, ὁ Ῥωμαϊκὸς συγγραφεὺς, ἅμα τῷ κατὰ Ζακανθαίους ἀδικήμασι, καὶ τὴν Ἀσδρούβου πλεονεξίαν καὶ φιλαρχίαν, αἰτίαν γένεσθαι τοῦ κατ' Ἀννίβαν πολέμου. ἐκεῖνον γὰρ, μεγάλην ἀνειληφότα τὴν δυναστείαν ἐν τοῖς κατ' Ἰβηρίαν τόποις, μετὰ ταῦτα παραγενόμενον ἐπὶ Λιβύην, ἐπιβαλέσθαι, καταλύσαντα τοὺς νόμους, εἰς μοναρχίαν περιστῆσαι τὸ πολίτευμα τῶν Καρχηδονίων· τοὺς δὲ πρώτους ἄνδρας ἐπὶ τοῦ πολιτεύματος, προειδομένους αὐτοῦ τὴν ἐπιβολὴν, συμφρονῆσαι

καὶ διαστῆναι πρὸς αὐτόν· τὸν δ' Ἀσδρούβαν, ὑπεκδόμενον, ἀναχωρήσαντα ἐκ τῆς Λιβύης, τὸ λοιπὸν ἤδη τὰ κατὰ τὴν Ἰβηρίαν χειρίζειν κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν, οὐ προσέχοντα τῷ συνεδρίῳ τῶν Καρχηδονίων· Ἀννίβαν δὲ, κοινωνὸν καὶ ζηλωτὴν ἐκ μειρακίου γεγενόσθαι τῆς ἐκείνου προαιρέσεως, καὶ τότε διαδεξάμενον τὰ κατὰ τὴν Ἰβηρίαν, τὴν αὐτὴν ἀγωγὴν Ἀσδρούβα ποιεῖσθαι τῶν πραγμάτων. διὸ καὶ νῦν τὸν πόλεμον τοῦτον ἐξενηνοχέναι κατὰ τὴν αὐτοῦ προαίρεσιν Ῥωμαίοις, παρὰ τὴν Καρχηδονίων γνώμην. οὐδένα γὰρ εὐδοκεῖν τῶν ἀξιολόγων ἀνδρῶν ἐν Καρχηδόνι τοῖς ὑπ' Ἀννίβου περὶ τὴν Ζακανθαίων πόλιν πραχθεῖσι. Ταῦτα δ' εἰπὼν, φησὶ, μετὰ τὴν τῆς προειρημένης πόλεως ἅλωσιν παραγενέσθαι τοὺς Ῥωμαίους, οἰομένους δεῖν ἢ τὸν Ἀννίβαν ἐκδιδόναι σφίσι τοὺς Καρχηδονίους, ἢ τὸν πόλεμον ἀναλαμβάνειν. Εἰ δέ τις ἔρηται τὸν συγγραφέα, ποῖος ἦν καιρὸς οἰκειότερος τοῖς Καρχηδονίοις, ἢ ποῖον πρᾶγμα τούτου δικαιότερον ἢ συμφορώτερον, ἐπείπερ ἐξ ἀρχῆς δυσηρεστοῦντο, καθάπερ οὗτος φησὶ, τοῖς ὑπ' Ἀννίβου πραττομένοις· τοῦ, πεισθέντας τότε τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων παρακαλουμένοις, ἐκδοῦναι μὲν τὸν αἴτιον τῶν ἀδικημάτων, ἐπανελέσθαι δ' εὐλόγως δι' ἑτέρων τὸν κοινὸν ἐχθρὸν τῆς πόλεως, περιποήσασθαι δὲ τῇ χώρᾳ τὴν ἀσφάλειαν, ἀποτριψαμένους τὸν ἐπιφερόμενον πόλεμον, δόγματι μόνον τὴν ἐκδίκησιν ποιησαμένους; τί ἂν εἰκεῖν ἔχοι πρὸς αὐτά; δῆλον γὰρ, ὡς οὐδέν. οἵ γε τοσοῦτον ἀπέσχον τοῦ πρᾶξαί τι τῶν προειρημένων, ὡς, ἐπτακαίδεκα ἔτη συνεχῶς πολεμήσαντες κατὰ τὴν Ἀννίβου προαίρεσιν, οὐ πρότερον κατελύσαντο τὸν πόλεμον, ἕως οὗ πάσας ἐξελέγξαντες τὰς ἐλπίδας, τελευταῖον εἰς τὸν περὶ τῆς πατρίδος καὶ τῶν ἐν αὐτῇ σωμάτων παραγένοντο κίνδυνον. *(Cap. 9)* Τίνος δὲ χάριν ἐμνήσθην Φαβίου καὶ τῶν ὑπ' ἐκείνου γεγραμμένων; Οὐχ, ἕνεκα τῆς πιθανότητος τῶν εἰρημένων ἀγωνιῶν, μὴ πιστευθῇ παρά τισιν· ἡ μὲν γὰρ παρὰ

τούτων ἀλογία, καὶ χωρὶς τῆς ἐμῆς ἐξηγήσεως, αὐτὴ δι' αὐτῆς δύναται θεωρεῖσθαι παρὰ τοῖς ἐντυγχάνουσιν· ἀλλὰ τῆς τῶν ἀναλαμβανόντων τὰς ἐκείνου βίβλους ὑπομνήσεως· ἵνα μὴ πρὸς τὴν ἐπιγραφὴν, ἀλλὰ πρὸς τὰ πράγματα βλέπωσιν. Ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες, ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα, καὶ λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε, καὶ τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων, πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν. ἐγὼ δὲ φημὶ μὲν δεῖν, οὐκ ἐν μικρῷ προσλαμβάνεσθαι τὴν τοῦ συγγραφέως πίστιν, οὐκ αὐτοτελῆ δὲ κρίνειν· τὸ δὲ πλεῖον, ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας τὰς δοκιμασίας. *(Polybius lib. III cap. 8 et 9.)*

Οὐχ ἧττον δὲ τῶν προειρημένων παρωξύνθην ἐπιστῆσαι τούτῳ τῷ πολέμῳ, καὶ διὰ τὸ τοὺς ἐμπειρότατα δοκοῦντας γράφειν ὑπὲρ αὐτοῦ, Φιλῖνον καὶ Φάβιον, μὴ δεόντως ἡμῖν ἀπηγγελκέναι τὴν ἀλήθειαν. ἐκόντας μὲν οὖν ἐψεῦσθαι τοὺς ἄνδρας οὐχ ὑπολαμβάνω, στοχαζόμενος ἐκ τοῦ βίου καὶ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν· δοκοῦσι δέ μοι πεπονθέναι τι παραπλήσιον τοῖς ἐρῶσι. διὰ γὰρ τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν ὅλην εὔνοιαν, Φιλίνῳ μὲν πάντα δοκοῦσιν οἱ Καρχηδόνιοι πεπρᾶχθαι φρονίμως, καλῶς, ἀνδρωδῶς, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι, ταὐναντία· Φαβίῳ δὲ, τοὔμπαλιν τούτων. Ἐν μὲν οὖν τῷ λοιπῷ βίῳ τὴν τοιαύτην ἐπιείκειαν ἴσως οὐκ ἄν τις ἐκβάλοι. καὶ γὰρ φιλόφιλον δεῖ εἶναι τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ φιλόπαιδα, καὶ συμμισεῖν τοῖς φίλοις τοὺς ἐχθροὺς, καὶ συναγαπᾶν τοὺς φίλους. ὅταν δὲ τὸ ἱστορίας ἦθος ἀναλαμβάνῃ τις, ἐπιλαθέσθαι χρὴ πάντων τῶν τοιούτων· καὶ πολλάκις μὲν εὐλογεῖν καὶ κοσμεῖν τοῖς μεγίστοις ἐπαίνοις τοὺς ἐχθροὺς, ὅταν αἱ πράξεις ἀπαιτῶσι τοῦτο· πολλάκις δὲ ἐλέγχειν καὶ ψέγειν ἐπονειδίστως τοὺς ἀναγκαιοτάτους, ὅταν αἱ τῶν ἐπισπευσμάτων ἁμαρτίαι τοῦθ' ὑποδεικνύωσιν. Ὥσπερ γὰρ ζώου τῶν ὄψεων ἀφαιρεθεισῶν, ἀχρειοῦται τὸ ὅλον·

οὕτως ἐξ ἱστορίας ἀναιρεθείσης τῆς ἀληθείας, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται διήγημα. διόπερ οὔτε τῶν φίλων κατηγορεῖν, οὔτε τοὺς ἐχθροὺς ἐπαινεῖν ἀκινδύνου· οὔτε δὲ τοὺς αὐτοὺς ποτὲ μὲν ψέγειν, ποτὲ δὲ ἐγκωμιάζειν εὐλαβητέον· ἐπειδὴ τοὺς ἐν πράγμασιν ἀναστρεφομένους οὔτ' εὐστοχεῖν αἰεὶ δυνατὸν, οὔτ' ἁμαρτάνειν συνεχῶς εἰκός. ἀποστάντες οὖν τῶν πραττόντων, αὐτοῖς ταῖς πραττομένοις ἐφαρμοστέον τὰς πρεπούσας ἀποφάσεις καὶ διαλήψεις ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν. *(Polybius lib. I cap. 14.)*

Φιλῖνον μὲν οὖν καθ' ὅλην ἂν τις τὴν πραγματείαν εὕροι τοιοῦτον ὄντα· παραπλησίως δὲ καὶ Φάβιον, ὡς ἐκ' αὐτῶν διεξιόντες τῶν καιρῶν. *(Polybius lib. I cap. 15 § 12.)*

Οὐ μὴν, ἀλλὰ πάλιν ἐντεῦθεν πάσπερ μὲν ἀμφότεροι ταῖς πολιορκητικαῖς ἐπινοίαις καὶ βίαις χρησάμενοι κατ' ἀλλήλων, πᾶν δὲ γένος ἐνδείας ἀνασχόμενοι, πάσης δ' ἐπιθέσεως καὶ μάχης πεῖραν λαβόντες· τέλος, οὐχ, ὡς Φάβιος φησὶν, ἐξαδυνατοῦντες καὶ περικακοῦντες, ἀλλ' ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοί τινες ἄνδρες, ἱερὸν ἐποιήσαντο στέφανον. πρότερον γὰρ ἐκείνους ἀλλήλων ἐπικρατῆσαι, καίπερ δύο ἔτη πάλιν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ διαγωνισαμένους, δι' ἄλλου τρόπου συνέβη λαβεῖν τὸν πόλεμον τὴν κρίσιν. *(Polybius I cap. 58 med.)*

Milia octoginta eo lustro civium censa dicuntur. Adiicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor, eorum, qui ferre arma possent, eum numerum fuisse. *(Livius lib. I cap. 44.)*

Eo magis Fabio, praeterquam quod antiquior est, crediderim, quadraginta ea sola talenta fuisse, quam Pisoni, qui *cet.* *(Livius lib. I cap. 55.)*

Apud Fabium, longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio. Refert certe, hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem,

Multo miserius senî exilium esse. *(Livius lib. II cap. 40 de Coriolano.)*

Magister equitum, ut ex tanta caede, multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit; seu credere libet Fabio auctori, eo factum, ne suae gloriae fructum dictator caperet, nomenque ibi scriberet, aut spolia in triumpho ferret. *(Livius lib. VIII cap. 30.)*

Fabius ambo consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriam exercitum, sed ab utroque consule non adiecit, et ad Luceriam utrimque multos occisos, inque ea pugna Iovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat. *(Livius lib. X cap. 37 extr.)*

Haec est nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim milia Romanorum in acie caesa sunt; decem milia, sparsa fuga per omnem Etruriam, diversis itineribus Urbem petiere. Mille quingenti hostium in acie, multi postea utrimque ex vulneribus periere. Multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis. Ego, praeterquam quod nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui. *(Livius lib. XXII cap. 7 init.)*

L. Aemilio Cos. ingentes Gallorum copiae Alpes transierunt. Sed pro Romanis tota Italia consensit, traditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit, DCCC milia hominum parata ad id bellum fuisse. *(Eutrop. lib. III cap. 5.)*

Itaque permoti consules totius Italiae ad praesidium imperii contraxere vires. Quo facto in utriusque consulis exercitu octingenta milia armatorum fuisse

referuntur, sicut Fabius historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit. *(Orosius hist. IV, 13. A. U. C. 529. L. Aemilio Papo, C. Atilio Regulo Coss.)*

FRAGMENTA
QUAE AD CERTUM ALIQUEM FABIORUM REFERRI NEQUEUNT.

At vero Fabius Pictor libro primo et Vennonius solito institutoque egressam virginem, in usum sacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco Martis, subito imbribus tonitrubusque, quae cum illa erant, disiectis, a Marte compressam. Conturbatamque mox recreatam consolatione Dei, nomen suum indicantis, affirmantisque, ex ea natos dignos patre evasuros. *(Auctor libri de origine gentis Romanae cap. 20 init.)*

Alii dicunt (*al.* Fabius Pictor dicit), quod inedia se interemerit. *(Servius in XII Aeneid. vers. 603 de Amata.)*

Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus vobis, et Fabius indicabunt, cuius Olus fuerit filius, gentis et nationis cuius, ut a germani servulis vita fuerit spoliatus et lumine: quid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriae [1]) sepultura. Condiscetis etiam, quamvis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, vel in parte qua rei

---

1) *Patriae* est adiectivum, non substantivum. Apud Suetonium in Caes. c. 76, ubi vulgo legitur *patriae*, ex plurimis optimisque codicibus corrige *spreto patrio more*.

curiosa faerit obscuritate conclusum: ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. *(Arnobius adversus gentes lib. VI cap. 7.)*

Tradit et Fabius Pictor in annalibus suis, cum obsideretur praesidium Romanum a Ligustinis, hirundinem a pullis ad se allatam: ut lino ad pedem eius alligato nodis significaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet. *(Plinius hist. nat. lib. X cap. 24.)*

Fabius Pictor in annalibus suis scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam. *(Plinius hist. nat. XIV cap. 13 med.)*

Φησὶ δ' ὁ συγγραφεὺς Φάβιος, Ῥωμαίους αἰσθέσθαι τοῦ πλούτου τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου κατέστησαν κύριοι. *(Strabo lib. V c. 3 p. 228; ed. Casauboni pag. 158 med. De Sabinis. Fortasse ex Polybio.)*

Φάβιος Πίκτωρ, συγγραφεὺς Ῥωμαίων. Οὗτος λέγει ἄρχοντι Ῥωμαίων μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ σφετερίζεσθαι ἐκ τοῦ δημοσίου ὠτιοῦν. *(Suidas in Φάβιος. Nihil probabilius est, quam ex Polybio desumptum esse, ut Quintus Fabius Pictor intelligendus sit.)*

Ἐν ᾧ δὲ οὗτοι περὶ ταῦτα ἦσαν, ὁ Φαίστυλος ἀπάγεται πρὸς Ἀμόλιον. Δεδοικὼς γὰρ, μὴ οὐ πιστὰ δόξῃ τῷ Νομέτορι λέγειν ὁ Φαίστυλος ἄνευ σημείων ἐμφανῶν μεγάλου πράγματος μηνυτὴς γενόμενος, τὸ γνώρισμα τῆς ἐκθέσεως τῶν βρεφῶν τὴν σκάφην ἀναλαβὼν, ὀλίγον ὕστερον ἐδίωκεν εἰς τὴν πόλιν. Διερχόμενον δ' αὐτὸν τὰς πύλας ταραχωδῶς πάνυ, καὶ περὶ πολλοῦ ποιούμενον μηδενὶ ποιῆσαι καταφανὲς τὸ λεγόμενον, τῶν φυλάκων τις καταμαθὼν, (ἦν δὲ πολεμίων ἐφόδου δέος καὶ τὰς πύλας οἱ μάλιστα πεπιστευμένοι παρὰ τοῦ βασιλέως ἐφρούρουν,) συλλαμβάνει δὴ καὶ τὸ κρυπτὸν ὅ τι δήποτ'

ἦν καταμαθεῖν ἀξιῶν, ἀποκαλύπτει βίᾳ τὴν περιβολήν. Ὡς δὲ τὴν σκάφην ἐθεάσατο, καὶ τὸν ἄνθρωπον ἔμαθεν ἀπορούμενον, ἠξίου λέγειν, τίς ἡ ταραχὴ, καὶ τί τὸ βούλημα τοῦ μὴ φανερῶς εἰσφέρειν σκεῦος, οὐδὲν δεόμενον ἀποῤῥήτου φορᾶς. Ἐν δὲ τούτῳ πλείους τῶν φυλάκων συνέῤῥεον· καί τις αὐτῶν γνωρίζει τὴν σκάφην, αὐτὸς ἐν ἐκείνῃ τὰ παιδία κομίσας ἐπὶ τὸν ποταμὸν, καὶ φράζει πρὸς τοὺς παρόντας. Οἱ δὲ συλλαβόντες τὸν Φαίστυλον ἄγουσιν ἐπ' αὐτὸν τὸν βασιλέα καὶ διηγοῦνται τὰ γενόμενα. Ἀμόλιος δὲ ἀπειλῇ βασάνων καταπληξάμενος τὸν ἄνθρωπον, εἰ μὴ λέξει τὰ τῆς ἀληθείας ἑκὼν, πρῶτον μὲν, εἰ ζῶσιν οἱ παῖδες, εἴρετο. Ὡς δὲ ταῦτ' ἔμαθε, τῆς σωτηρίας αὐτοῖς ὅστις ὁ τρόπος ἐγένετο· διηγησαμένου δὲ αὐτοῦ πάντα ὡς ἐπράχθη· Ἄγε δὴ, φησὶν ὁ βασιλεὺς, ἐπειδὴ ταῦτα ἀληθεύσας ἔχεις, φράσον, ὅπου νῦν ἂν εὑρεθεῖεν· οὐ γὰρ ἔτι δίκαιοί εἰσιν ἐν βουκόλοις καὶ ἀδόξῳ βίῳ ζῆν, ἐμοίγε ὄντες συγγενεῖς· ἄλλως τε καὶ θεῶν προνοίᾳ σωζόμενοι. Φαίστυλος δὲ τῆς ἀλόγου πραότητος ὑποψίᾳ κινηθεὶς, μὴ φρονεῖν αὐτὸν ὅμοια τοῖς λόγοις, ἀποκρίνεται ὧδε· Οἱ μὲν παῖδες εἰσὶν ἐν τοῖς ὄρεσι βουκολοῦντες, ὅσπερ ἐκείνων βίος, ἐγὼ δ' ἐπέμφθην παρ' αὐτῶν τῇ μητρὶ δηλώσων, ἐν αἷς εἰσὶ τύχαις. Ταύτην δὲ παρά σοι φυλάττεσθαι ἀκούων, δεήσεσθαι τῆς σῆς θυγατρὸς ἔμελλον, ἵνα με πρὸς αὐτὴν ἀγάγοι. Τὴν δὲ σκάφην ἔφερον, ἵν' ἔχω δεικνύναι τεκμήριον ἐμφανὲς ἅμα τοῖς λόγοις. Νῦν οὖν ἐπεὶ δέδοκται τοὺς νεανίσκους δεῦρο κομίσαι, χαίρω τε καὶ πέμψον οὕστινας βούλει σὺν ἐμοὶ. Δείξω μὲν οὖν τοῖς ἐλθοῦσι τοὺς παῖδας, φράσουσι δ' αὐτοῖς ἐκεῖνοι τὰ παρά σου. Ὁ μὲν δὴ ταῦτ' ἔλεγεν, ἀναβολὴν εὑρέσθαι βουλόμενος τοῖς παισὶ τοῦ θανάτου, καὶ ἅμα αὐτὸς ἀποδράσεσθαι τοὺς ἄγοντας, ἐπειδὰν ἐν τοῖς ὄρεσι γένηται, ἐλπίσας. Ἀμόλιος δὲ τοῖς πιστοτάτοις τῶν φίλων ἐπιστείλας κρύφα, οὓς ἂν ὁ συοφορβὸς αὐτοῖς δείξῃ, συλλαβόντας ὡς αὐτὸν ἄγειν,

ἀποστέλλει διὰ ταχέων. Ταῦτα διαπραξάμενος αὐτίκα γνώμην ἐποιεῖτο, καλέσας τὸν ἀδελφὸν ἐν φυλακῇ ἀδέσμῳ ἔχειν, ἕως ἂν εὖ θῆται τὰ παρόντα, καὶ αὐτὸν ὡς ἐπ' ἄλλῳ δή τινι ἐκάλει. Ὁ δὲ ἀποσταλεὶς ἄγγελος, εὐνοίᾳ τε τοῦ κινδυνεύοντος, καὶ ἐλέῳ τῆς τύχης ἐπιστρέψας, παρήγορος γίνεται Νομέστορι τῆς Ἀμυλίου γνώμης. Ὁ δὲ τοῖς παισὶ δηλώσας τὸν κατειληφότα κίνδυνον αὐτοὺς, καὶ παρακελευσάμενος ἄνδρας ἀγαθοὺς γενέσθαι, παρῆν ἄγων ὡπλισμένους ἐπὶ τὰ βασίλεια, τῶν τε ἄλλων πελατῶν καὶ ἑταίρων, καὶ θεραπείας πιστῆς χεῖρα οὐκ ὀλίγην. Ἦκον δὲ καὶ οἱ ἐκ τῶν ἀγρῶν συνελθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἐκλιπόντες τὴν ἀγοράν, ἔχοντες ὑπὸ ταῖς περιβολαῖς ξίφη κεκρυμμένα, στίφος καρτερόν. Βιασάμενοι δὲ τὴν εἴσοδον ἀθρόᾳ ὁρμῇ πάντες οὐ πολλοῖς ὁπλίταις φρουρουμένην, ἀποσφάττουσιν εὐκαίρως Ἀμύλιον, καὶ μετὰ τοῦτο τὴν ἄκραν καταλαμβάνουσι. Ταῦτα εἴρηται τοῖς περὶ Φάβιον· ἕτεροι δὲ οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἱστορικῇ γραφῇ προστρέπειν, τήν γε ἀπόδεσιν τὴν τῶν βρεφῶν σύχ, ὡς ἐκελεύσθη τοῖς ὑπηρέταις, γενομένην, ἀπίθανον εἶναί φασι *cetera.* *(Nicolaus Damascenus in historiarum libris. Ed. Orelli. pag. 70 sqq.)*

Περὶ δὲ τῆς προσηνορίας ταύτης Φάβιος, ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας, ἄλλως μεμυθολόγηκε· φησὶ γὰρ Αἰνείαν γενέσθαι λόγιον, τετράπουν αὐτῷ καθηγήσασθαι πρὸς κτίσιν πόλεως, μέλλοντος αὐτοῦ θύειν, ὗν ἔγκυον, τῷ χρώματι λευκήν· ἀφυγεῖν δὲ ἐκ τῶν χειρῶν, καὶ καταδιωχθῆναι πρός τινα λόφον, πρὸς ὃν κομισθεῖσαν τεκεῖν λ'. χοίρους. τὸν δὲ Αἰνείαν τότε παράδοξον θαυμάσαντα, καὶ τὸ λόγιον ἀναμενοῦμενον, ἐπιχειρῆσαι μὲν οἰκῆσαι τὸν τόπον· ἰδόντα δὲ κατὰ τὸν ὕπνον ὄψιν ἐναργῶς διασκαλύουσαν, καὶ συμβουλεύουσαν μετὰ λ'. ἔτη κτίζειν πόλιν, ὅπερ ὁ τῶν τεκθέντων ἀριθμὸς ἦν, ἀποστῆναι τῆς προθέσεως. *(Diodorus Siculus. Fragm. lib. VIII. Ed. Schweighaeuser. tom. IV. pag. 21.*

Ex Georgii Syncelli chronographia pag. 155 *ed. Venetiis a.* 1729. *Cf. Eusebii Chron. tom. I pag.* 387 *ed. Aucher.)*

FRAGMENTUM
FABII GRAMMATICI

Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam, et Evander ad nos transtulerunt. — — Grammatici praeterea Demetrius Phalareus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt *cet.* *(Marius Victorinus art. gramm. lib. I pag.* 2468 *ed. Putsch.)*

L. CINCIUS ALIMENTUS.

Eorum, qui urbis antiquissima tempora perscripserunt, praeter Fabium a Dionysio Halicarnassensi in Ant. Rom. lib. I pag. 5 extr. veterrimus historicus nominatur L. Cincius Alimentus, aequalis Fabii, ut auctor Dionysius est, et testantur loci aliquot apud Livium XXI, 38. XXVI, 23: „Praetoria inde comitia habita. P. Manlius Vulso, et L. Manlius Acidinus, et C. Laetorius, et L. Cincius Alimentus creati sunt.“ — Et c. 28: „Decrevere Patres, ut alteri consulum Italia bellumque cum Hannibale provincia esset: alter classem, cui T. Otacilius praefuisset, Siciliamque provinciam cum L. Cincio praetore obtineret.“ Et paulo post: „L. Cincio praetori ad obtinendam Siciliam Cannenses milites dati, duarum instar legionum.“ XXVII, 7: „M. Valerio cum L. Cincio, his quoque est enim prorogatum in Sicilia imperium, Cannensis

exercitus datus: eumque supplere ex militibus, qui ex legionibus Cn. Fulvii superessent, iussi." — Cf. c. 29. Velut alii historici veteres, ita noster quoque ortus est a gente plebeia, sed ea antiqua ac nobili: cf. Fest. v. Cincia. De annis, quibus natus et mortuus sit, nihil ad nostram memoriam pervenit, sed de vita sunt aliqua nobis tradita, quae primum videntur enarranda esse. A. u. c. 534 quaestor fuit; a. 539 tribunus plebis; a. 541 aedilis pl.; denique ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου, ut dicit Dionysius lib. I pag. 60 lin. 12. Cum Marcellus Syracusis expugnatis e Sicilia decessisset, Cincius praetor, cui ea provincia evenerat, duos ibi annos versatus est. Quantopere autem in honore fuerit, vel ex hoc possis perspicere; cum enim M. Marcello consule in insidiis interfecto, T. Quinctius Crispinus consul vulneratus Capuae in magno discrimine esset, diceretque legatos opus esse ad se mitti, viros prudentes, cum quibus, quae vellet, de re publica loqueretur: Livio teste (XXVII, 29) ad consulem tres legati missi sunt, Sext. Iulius Caesar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Alimentus. Sed cum anno 543 praetor et insequenti anno proprætor in Sicilia fuerit (Liv. XXVI, 23 et 28; XXVII, 7 et 5 et 8): accurate nosse loca habendus est, quibus bellum Punicum primum, et aliqua para secundi gesta est. Anno deinde 545 prorogato imperio classem duxit (Liv. XXVII, 26), traiectoque ex Sicilia exercitu Locros oppugnavit (cap. 28), unde magno cum pavore fugit. Postea vero (cap. 29), quod paulo ante commemoravi, ad T. Quinctium Crispinum consulem legatus missus est, et, nisi iam initio belli, hoc fortasse tempore ab Hannibale captus (Liv. XXI, 38); utrumque enim recentiores contenderunt, sed idonea ac luculenta testimonia desiderantur. Sed haec ipsa capti-

captivitas profuit Cincio in historia scribenda, quod multa ex Hannibale audivit, atque audita litteris consignavit, quemadmodum declarat locus Livianus XXI, 38. Videtur autem noster Graece locutus esse cum Hannibale, qui istius linguae non imperitus, Cornelio auctore (in Hann. c. 13) libros aliquot Graeco sermone confecit. Denique, quantum iudicare licet, post captivitatem non amplius honores obtinuit, sed a re publica remotus tempus videtur in historiis scribendis consumpsisse.

Scripsit autem annales inde ab urbe condita usque ad suam aetatem, quam copiosius enarravit, quam tempora antiquissima. Dionysius lib. I pag. 5 extr. de utroque et Q. Fabio et L. Cincio ita loquitur: τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε. Quomodo inscripserit librum prorsus incertum est: non enim a quoquam titulus laudatur. Pari modo de librorum numero obscura res est, quoniam ab eo solum, qui scripsit de origine gentis Romanae, citatur liber primus, et, si fragmentorum collectoribus obtemperandum est, etiam secundus, quorum altero fabulam de Alba Longa condita rettulit, traditam a Livio primo in libro annalium cap. 3 [1]).

1) Auctor libelli de origine gentis Romanae tum Graecos tum Latinos scriptores secutus est. Afferuntur autem ab eo auctores *Ennius* cap. 4. *Ennius lib. I* cap. 20 — *Fabius Pictor lib. I* cap. 20 — *Lucius Cincius lib. I* cap. 18. *Cincius lib. II* cap. 17 — *Cato in Origg.* cap. 12 et 15 — *Acilius* cap. 10 — *Aulus Postumius* cap. 15 — *Piso* cap. 10 et 13 et *Epitomarum Pisonis II* cap. 18 — *Cassius lib. I* cap. 7 — *Vennonius* cap. 20 — *Sempronius* cap. 10 — *Sextus Gellius in orig. gent. Rom.* cap. 16 — *Lutatius* cap. 9. *Lutatius lib. II* cap.

Inde mihi videtur perspicuum esse, ut Fabium Pictorem, quod ante exposui, ita etiam Cincium Livio ceterisque historicis antiqua urbis Romanae tempora uberius perscripsisse. Non tamen obstat Dionysii sententia ista, cum res ipsius aetate gestas etiam latius eum exposuisse admodum credibile sit. Nam secundum Heraclitum philosophum ὀφθαλμοὶ τῶν ὦτων ἀκριβέστεροι μάρτυρες. Verboso autem Graeculo tribuamus, quod se veteribus historicis, ex quorum annalibus sua hausit, antiqua tempora copiosius gloriatur et uberius referre. Namque ita Dionysius lib. I pag. 6 lin. 23: ἕως γὰρ οἱ προαναγινώσκοντες Ἱερώνυμον, ἢ Τίμαιον, ἢ Πολύβιον, ἢ τῶν ἄλλων τινὰ συγγραφέων, ὑπὲρ ὧν ἐποιησάμην λόγον ὀλίγῳ πρότερον, ὡς ὑποσεσυρμένων τὴν γραφὴν, πολλὰ τῶν ὑπ' ἐμοῦ γραφομένων οὐχ εὑρήσουσι παρ' ἐκείνοις κείμενα, σχεδιάζειν ὑπολήψονταί με, καὶ

11; *Lutatius lib. III* cap. 13 et 18 — *Valerius* cap. 21; *Valerius Antias lib. I* cap. 19 — *Licinius Macer* cap. 19; *Licinius Macer lib. I* cap. 23 — *Vulcatius* cap. 10 — *Domitius* cap. 12, et *Domitius lib. I* cap. 12 et 18 — *M. Octavius* cap. 19 et *M. Octavius lib. I* cap. 12 — *Tuberonis I* cap. 17 — *Aufidius in Epitomis* cap. 18 — *Egnatius lib. I* cap. 23 — *Sallustius* (Catil. c. 6) cap. 4 — *Caesar* cap. 10. *Gaius Caesar* cap. 16. *Caesar lib. I* cap. 11. *Iulius Caesar lib. I* cap. 15. *Iulius Caesar lib. II* cap. 18. *Caesar lib. II* cap. 15 et 17 et 20. *Caesar, Pontificalium lib. I* cap. 9 — *Virgilius* cap. 1 ter, cap. 3 ter, cap. 5 bis, cap. 9 — *Alexander Ephesius lib. I belli Marsici* cap. 9. Hoc bellum, nobis non satis notum, perscripserunt quondam Lucceius et Lucullus. — *In libris Pontificalium* cap. 7. *Pontificalium lib. I* cap. 9. *Lib. II Pontificalium* cap. 22. *In Annali Pontificum IV* cap. 17. *Annalium Pontificalium lib. IV* ibidem. *Annalium lib. VI* cap. 18 — *Historia Lavinia, quae testatur* cap. 23 — *ex libro, qui inscriptus est, De origine Patavina* cap. 1 — *quamvis auctore Homero quidam asserant* cap. 9.

ὠφθην εἰς ἐμὲ ἡ τούτων γνῶσις παραγέγονεν ἀξιώσουσι μαθεῖν. Verum ut redeat, unde digressa oratio est, historiam belli Hannibalici, id quod aliqui contenderunt, Cincius non peculiari libro confecit, sed pars putanda est annalium, sive quodcumque historici operis nomen fuerit, ut res sic plane se habeat, quemadmodum de Q. Fabii Hannibalicis (p. 45) vidimus. Graece nostrum scripsisse Dionysius (lib. I pag. 5 extr. Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ) affirmat, cuius testimonium vel inde confirmatur, quod nec a grammaticis prisca ex Cincianis historiis vocabula afferuntur, nec a Cicerone (de legg. I, 2. de orat. II, 12) aliisve in eorum numero recensetur, qui patrio sermone annales composuerunt. Quanquam Cicero ne Lucium quidem Cassium Heminam, nec Fabium Maximum, qui Latine scripserant, nominavit. Neque nunc facile quisquam dubitabit, quin Graece Cincius scripserit. Nam quod Wachsmuthius Cincium et Fabium Latine scripsisse, et a Dionysio Graecas translationes adhibitas esse dixit, positum id non est, nisi ad solvendam difficultatem de Fabio, qui recentiores mirum in modum vexavit. Quod ad religionem historici nostri pertinet, qua sit in scribendo versatus, ut plebeium hominem prae ceteris decet, videtur fide atque auctoritate perquam dignus fuisse. Atque a Livio dicitur VII, 3. *diligens talium monumentorum auctor*, et XXI, 38: *L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Hannibale scribit, maxime auctor me moveret, nisi confunderet numerum* sqq. Dionysius autem lib. I pag. 5 extr. ed. Sylburg. de utroque et Fabio et Cincio dicens: οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε. Uno quidem loco Livius (XXI, 38) ei fidem derogat, sed tamen dubium est, num revera perperam Cincius tradiderit, cum Livius Graecae lin-

guae minus bene peritus etiam Polybium male intellexerit. Sed tamen, quanquam Latinos auctores praetulit, alios quoque Graecos scriptores Livius consuluit, ut fatetur XXIX, 27. XXXII, 6. XXXIX, 52. Plutarchus quidem Alimentum non nominavit auctorem, at fuisse suspicari certe ausim.

Iam praeterea Cincio nostro tribuuntur vulgo libri de Gorgia Leontino, de fastis, de comitiis, de Consulum potestate, de officio iurisconsulti, mystagogicon, de verbis priscis, de re militari. Atque cum his de rebus accurate scripsisse et studiose dicatur, sunt, qui diligentiam atque fidem, qua in historiis componendis versatus sit, ita laudibus efferant, ut veterum scriptorum longe diligentissimus ac praestantissimus esse videatur. Verumtamen videndum est, num ceteri libri a nostro Cincio compositi sint; admirabile enim videri debet, tam vetusto tempore unum hominem tam variae doctrinae volumina confecisse. In fragmento Cinciani libri de re militari quinti apud Gellium XVI, 4 § 2 laudantur C. Laelius C. F. L. Cornelius P. F. Consules, qui magistratum hunc tenuerunt a. u. c. 564. Quamobrem, nisi noster Cincius ad summam senectutem pervenerit, qua vix de Consulibus illis scribere, nedum eiusmodi difficile argumentum tractare potuit: nam a. u. c. 534 quaestor fuit, triginta ferme annos natus: hanc, inquam ob caussam, nihil probabilius, vel, ut rectius loquar, certius est, quam libros de re militari ab alio eiusdem nominis homine Augusti aetate vel etiam seriore tempore conscriptos esse. Accedit, quod cuncti libri non diserte historico, de quo sermo est, a veteribus tribuuntur, quodque Punicorum bellorum tempore nemo prorsus eiusmodi res tractare aut potuit aut voluit. Quis enim est, qui bellicosa ac rudi civitate populo-

que summum bellum bellante, intra parietes subtiliter disserere animum intendat de fastis, de comitiis, de Consulum potestate, de officio iurisconsulti, de re militari, de verbis priscis? Atque quod libri de verbis priscis historico Cincio adscribuntur, mirabilius etiam videri debet, quia, si Latine scripsisset, ipse verbis priscis usus fuisset. Deinde quod antiquissimorum grammaticorum munus fuerit, docet nos Suetonius de illustr. grammat. cap. 1: „Initium quoque eius mediocre extitit: siquidem antiquissimi doctores, qui iidem et poetae et oratores semigraeci erant, Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum est, nihil amplius quam Graeca interpretabantur; ac, si quid Latine ipsi composuissent, praelegebant. Nam quod nonnulli tradunt, duos libros de litteris syllabisque, item de metris, ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta, non poetae, sed posterioris Ennii esse; cuius etiam de augurandi disciplina volumina feruntur." Cf. cap. 2 et 3. Volumina igitur Enniana de litteris syllabisque ac metris Punici belli tempore composita non sunt, at de verbis priscis eadem aetate is scripsit qui dux fuit in bello? M. Antonius Gnipho (Suet. de ill. gramm. c. 7) de Latino sermone scripsit, at num ante eum quispiam tale argumentum tractarit, plane ignoramus; non tamen videtur credibile esse, cum Suetonius (cap. 2) ita tradat: „Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, cum regione Palatii prolapsus in cloacae foramen, crus fregisset, per omne legationis simul et valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad

imitandum: hactenus tamen imitati, ut carmina, parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent." Et sub finem eiusdem capitis: „Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus, generque Aelii Servius Clodius, uterque eques Romanus, multique ac varii et in doctrina et in re publica usus." Deinde cap. 3: „Post hoc magis ac magis et gratia et cura artis increvit; ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quominus et ipsi aliquid de ea scriberent." Sed hoc valet de Ciceronis et Augusti temporibus. Ennius vero, de cuius morte Suetonius cap. 2 meminit, obiit a. u. c. 585, ita ut Cincius historicus, cum Crates Mallotes (Suet. de ill. gramm. c. 2) Romam veniret, homo fuerit minimum octogenarius. Neque difficilior res est de historia Gorgiae Leontini. Cum enim bellorum Punicorum aetate dicendi ars apud Romanos nullo in honore fuerit (cf. Cic. in Bruto cap. 14 sqq. et Suetonius de clar. rhetor. cap. 1): persuadere mihi non queo, historicum Cincium nostrum, licet per aetatem potuerit, peculiarem de Graeco oratore librum confecisse. Peculiarem vero hunc librum fuisse, non insertam annalibus istam historiam, inde luculentum est, quod fragmento teste Latine scriptus fuit. Tum in libro de fastis apud Macrobium I cap. 12 ita legitur: „Sed Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse." At vero in antiquorum numero ipse Cincius historicus habendus est, nec quisquam ante eius aetatem sive de fastis sive de aliis eiusmodi rebus subtiliter disseruit, quod inest in verbis illis: *imperite quosdam opinari*. Festus etiam in *Regifu-*

gium Cincium contra Verrium disputasse testatur: idque eum in libris de verbis priscis saepius fecisse, ex fragmentis apparet: cf. Festus in *Naccae*, in *Naucum*, in *Novalis*, in *Nuptias*, in *Sinistrae* sqq., unde Cincium istum grammaticum post Varronem vixisse intelligitur. Itaque cum talium litterarum studium Catonis demum Censorii aetate florere inciperet (id quod extra omnem dubitationem positum est): praeter annales Graece scriptos, cunctos omnino libros nusquam diserte historico vindicatos, licet vulgo, etiam a Niebuhrio sagacissimo viro, historico nostro Cincio tribuantur, iure meritoque ei derogamus, auctoresque plures Cincios seriore tempore arbitramur. Mehercules! si ista ab historico illo profecta essent, mirandum foret maxime, quod nec Cicero, nec alius quisquam ut Suetonius in libris de claris rhetoribus et illustribus grammaticis tanti τέρατος, eiusque perantiqui mentionem iniecit. Sed nihilominus fragmenta falsa transscripsimus, ut, qui rem accuratius etiam intelligere ac diiudicare vellent, in promptu haberent. Haec dudum de subditis Cincii libris scripseram, cum tandem aliquando in manus venit liber diu valde desideratus: Notitia Hermundurorum scr. a Longolio, a. 1793 ed. ab Io. Henr. Mart. Ernesti, qui, tom. II pag. 3 — 14 de Cincio historico disputans, primus, quod sciam, exceptis annalibus omnes omnino libros abrogandos ei acutissime perspexit. Is tamen rem brevius etiam, quam nosmet, absolvit, nec falsa esse de verbis priscis fragmenta argumentis evicit. Probe vero in falsis fragmentis nec Lucii praenomen nec Alimenti cognomen inveniri admonuit, praeterquam quod apud Nonium, qui citat historiam de Gorgia Leontino, legitur Cincius Alimetus, fortasse pro Cincio Alimento. Sed nimis hoc quidem Longolius ur-

sit, ac torsit; nam ipsis additis nominibus illis, tamen omnes libri ab historico abiudicandi essent, quippe cui talia scribendi et voluntas defuerit et facultas. Nec satis bene ad ista conscribenda historico tempus defuisse contendit (tom. II pag. 9 § IX extr.); melius ait (§ IX init. cf. Florus in prooem.) illa aetate prudentissimum quemque negotiosum maxime fuisse. Recte etiam vidit § XII, neminem ante A. Gellium, id est quadringentis ferme annis post Cincium historicum, subditicia scripta commemorare nec L. Cincium Alimentum in ordine scriptorum de re militari, ne apud Vegetium quidem inveniri. Denique § IV coll. § VII videtur dubitare, num Dionysius nostrum scriptorem ubique intellexerit, cum Cincium tantum vel etiam Lucium Cincium auctorem nominet, non Alimenti cognomen adiiciat; transscriptoque Liviano loco XXI, 38 ita ait: „Haec fere unica atque genuina tabula *L. Cincii Alimenti*, ex illo antiquissimorum historiae Romanae scriptorum naufragio.“ At de locis in libello de orig. gent. Rom. multo facilius dubitare possis; de Dionysii testimoniis non item. Nos vero ad L. Cincii Alimenti Graecos annales recte, opinamur, rettulimus, quae afferunt Livius et Dionysius et auctor libri de orig. gent. Rom., denique etiam Solini et Syncelli et Eusebii locos, qui, cum olympiades nominentur, ex Cincii Graece scriptis annalibus desumpti videntur, nisi forte rectius cuncti ex ipso Dionysio.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Post eum regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius. Qui cum adversus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter proeliantes depulsus in Albulam flu-

men, deperiit, mutandique nominis extitit caussa, ut scribit Lucius Cincius libro primo, Lutatius libro tertio. *(Auctor de orig. gent. Rom. cap.* 18 *init.)*

LIB. II.

Post haec Ascanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novae urbis condendae tempus advenisse ex numero porcorum, quos pepererat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo condita est, Albanus nuncupatur, civitatem communit; eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est, Longam, ex colore suis, Albam cognominavit. Cumque illuc simulacra Deorum Penatium transtulisset, postridie apud Lavinium apparuerunt: rursusque relata Albam, appositisque custodibus, nescio quantis, se Lavinium in pristinam sedem identidem receperunt. Itaque tertio nemo ausus est amovere ea, ut scriptum est in annali pontificum IV, lib. Cincii et Caesaris II, Tuberonis I. *(Auct. de orig. gent. Rom. c.* 17 *init. De numero huius libri facile dubitaris, quod non diserte additur. Deinde Quintum aut Numerium Fabios aut P. Scipionem aut C. Acilium annales in libros divisisse non constat.)*

INCERTA

EX QUIBUS ANNALIUM LIBRIS.

Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori octava, Nepoti et Lutatio *cetera. (Solinus cap.* 2. *Cf. Quinti Fabii Pictoris fragm. p.* 52.)

Τίμαιος μὲν πρώτην καὶ Λαὰς κατὰ τὰ τῆς ὰ. ὀλυμπιάδος λέγουσιν ἔτη ἐκτίσθαι Ῥώμην· Λεύκιος δὲ Κίγ-

πλιος εἷς τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου Ῥώμης, κατὰ τὸ δ'. ἔτος τῆς ιβ'. ὀλυμπιάδος. Φάβιος δὲ Κόϊντος *cet. (Vide Q. Fab. Pict. fragm. pag.* 52. *Georgius Syncellus in chronographia pag.* 155. *Sed lege* Κίγκιος.)

Τίμαιος μὲν ὁ Σικελιώτης οὐκ οἶδ' ὅτῳ κανόνι χρησάμενος, ἅμα Καρχηδόνι κτιζομένῃ γενέσθαι φησὶν, ὀγδόῳ καὶ τριακοστῷ πρότερον ἔτει τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος. Λεύκιος δὲ Κίγκιος, ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου, περὶ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς δωδεκάτης ὀλυμπιάδος ..... Κάτων δὲ Πόρκιος Ἑλληνικὸν μὲν οὐχ ὁρίζει χρόνον. ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος, εἰ καί τις ἄλλος εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας *cet. (Eusebii chron. tom. I p.* 383 *ed. Aucher. Sed ibi sic est in translatione Latina:* — **at Leucius Cincilius, vir Senatorii consilii, circa annum quartum duodecimae olympiadis (ait). Erintus autem Fabius anno primo VIII olympiadis. Verum Cato Porcius** *cet. Est ex Dionysio.)*

Λεύκιος δὲ Κίγκιος, ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου, περὶ τὸ τέταρτον ἔτος τῆς δωδεκάτης ὀλυμπιάδος. *(Dionys. I pag.* 60 *lin.* 12 *edit. Sylburg. cap.* 74. *Loquitur de Romae natali.)*

Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων *cetera. (Dionys. I pag.* 64 *extr. Cfr. fragmenta Quinti Fabii Pictoris pag.* 52.*)*

Αὐτὴν, ὡς μὲν Φάβιός τε καὶ Κίγκιος γράφουσιν *cet. (Dionys. lib. II pag.* 105. *Vide fragm. Q. Fab. Pict. pag.* 53.*)*

Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιόν τε καὶ Κίγκιον *cet. (Dionys. II p.* 106. *Cf. fragm. Q. Fab. Pict. pag.* 53.*)*

Volsiniis quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiae, Etruscae Deae, comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat. *(Livius lib. VII cap.* 3.*)*

L. Cincius Alimentus, qui captum se ab Hannibale scribit, maxime auctor me moveret, nisi confunderet numerum, Gallis Liguribusque additis: cum his octoginta milia peditum, decem equitum, adducta in Italiam: magis affluxisse verisimile est, et ita quidam auctores sunt: ex ipso autem audisse Hannibale, postquam Rhodanum transierit, triginta sex milia hominum, ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse, in Taurinis, quae Gallis proxima gens erat, in Italiam degressum. *(Livius lib. XXI cap.* 38.*)*

FRAGMENTA ALIORUM CINCIORUM NON HISTORICI.

HISTORIA DE GORGIA LEONTINO.

Unde Cincius Alimentus (vulg. *Alimetus*), historia de Gorgia Leontino, scribit, dicens: Qui dum iam silicernius finem sui temporis expectaret, etsi mori non potuit, tamen infirmitatibus insultavit. *(Fulgentius in Silicern. in libello de prisco sermone. Vulgo*: morti.*)*

Cincius Numina peregrina, novitate ex ipsa appellata pronunciat: nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare: ac ne aliquis Deorum multitudine aut ignorantia praeteriretur, brevitatis et compendii caussa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari. *(Arnobius Afer in disputat. advers. gentes lib. III cap.* 38 *extr. coll. c.* 39.*)*

Vulgo — mirabile dictu! hoc loco transscribitur Tertull. de Spectac. cap. 5, *etsi diserte Piso auctor nominatur, cuius vide fragmenta.*

LIB. DE FASTIS SIVE FASTORUM.

Sed Cincius in eo libro, quem de fastis reliquit, ait imperite quosdam opinari, Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse; cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a maioribus institutum sit: sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut ceterorum coelestium, laus celebretur. Cincio etiam Varro consentit *sqq.* *(Macrob. I c. 12.)*

Cincius mensem nominatum putat a Maia, quam Vulcani dicit uxorem; argumentoque utitur, quod Flamen Vulcanalis Calendis Maiis huic Deae rem divinam facit. *(Macrob. I, 12 med.)*

Iunius Maium sequitur, aut ex parte populi, ut supra diximus, nominatus, aut, ut Cincius arbitratur, quod Iunonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos, Praenestinosque hac appellatione in fastos relatus sit. *(Macrob. I, 12.)*

Regifugium dies notatur in fastis VI Kal. Martias, ut ait Verrius ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit, quod falsum esse arguit Cincius in libro fastorum et Tullius de feriis, qui Saliares virgines et Salios adesse dicunt regi sacrorum, cum facit sacrificium in comitio, quo facto statim fugit. *(Festus in Regifugium.)*

LIB. DE COMITIIS.

Patricios Cincius ait in libro de comitiis eos appellari solitos, qui nunc ingenui vocentur. *(Festus in Patricios.)*

LIB. DE CONSULUM POTESTATE.

Praetor ad portam nunc salutatur is, qui in provinciam pro praetore aut pro consule exit. Cuius rei

morem ait fuisse Cincius in libro de Consulum potestate talem. Albanos rerum potitos usque ad Tullum regem: Alba deinde diruta usque ad P. Decium Murem Consulem populos Latinos ad caput Oetentinae, quod est sub monte Albano consulere solitos, et imperium communi consilio administrare. Itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret iussu nominis Latini, complures nostros in capitolio a sole oriente auspiciis operam dare solitos. Ubi aves addixissent, militem illum, qui a communi Latio missus esset, illum, quem aves addixerant, praetorem salutare solitum, qui eam provinciam obtineret praetoris nomine. *(Festus in Praetor.)*

LIB. DE OFFICIO IURISCONSULTI.

Subici aries dicitur, qui agitur ut caedatur, quod fit, ut ait Cincius in libro de officio iurisconsulti, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries inigitur ab eo, qui scelus admisit, poenae pendendae loco. *(Festus in Subici.)*

LIB. II.

Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius in libro secundo de officio iurisconsulti, nomina certa nominibus propriis pronunciata. CUM. NEXUM. FACIET. MANCIPIUM. QUE. UTI. LINGUA. NUNCUPASSIT. ITA. UTI. NOMINARIT. LOCUTUS. VE. ERIT. ITA. IUS. ESTO. *(Ex lege 12 tabb. — Festus in Nuncupata.)*

Sanates, quasi sanati appellati, id est sanatae mentes —— scriptum est in XII: NEXO. SOLUTO. QUE. FORTI. SANATI. QUE. IDEM. IUS. ESTO. Id est bono, quod et peregrino. Qui et inferiorum coloniarum, quae sunt deductae in Priscos Latinos, quas Priscus rex inegerit secundum mare supra et infra Romam in civitates

Latinorum, eosque Sanatis propterea quod praeter opinionem, eos paravisset, sanavissetque, et cum eis pacisci potuisset, nominavit, ut ait Cincius lib. II de officio iurisconsulti. *(Festus in Sanates.)*

MYSTAGOGICON LIB. II.

Trientem tertium pondo — — id significare ait Cincius Mystagogicon libro secundo, duas libras pondo et trientem, qua consuetudine hodieque utimur cum lignum bes alterum dicimus, id est pedem et bessem latitudinis habens; et sestertium, id est duos asses et semissem tertium; item si tres asses sunt, et quartus quadrans. *(Festus in Trientem.)*

LIB. DE VERBIS PRISCIS.

Reconductae fecerit, et condere urbem, facere, aedificare, ut Cincius testatur in libro de verbis priscis. *(Festus in Reconductae.)*

Scenam — — Cincius in libro, qui est ei de verbis priscis, dolabram ait esse pontificiam. *(Festus in Scenam.)*

Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus, et is qui simili nomine appellatur, ut ait Cincius: gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur. *(Festus in Gentilis.)*

Cincius de verbis priscis sic ait: Quemadmodum omnis fere materia non deformata rudis appellatur, sicut vestimentum rude, non perpolitum: sic aes infectum ruduisculum; apud aedem Apollinis aes conflatum iacuit, id ad rudus appellabant; in aestimatione censoria aes infectum rudus appellatur. Rudiarii ab eodem dicuntur, qui saga nova poliunt. *(Festus in Rodus.)*

Naccae appellantur vulgo fullones, ut ait Curia-

tius, quod nauci non sint, id est nullius pretii. Idem sentit et Cincius. *(Festus in Naccae.)*

Nationem, item apud antiquos natum. Cincius, genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt, significare ait, qui et nationem ait non tantum universim de omnibus, sed etiam de singularibus quoque hominibus seiunctim dici solere. *(Festus in Natio.)*

Naucum ait Ateius philologus poni pro nugis. Cincius quod in olea nucis, quid intus sit. *(Festus in Naucum.)*

Novalem agrum — — Sed Cincius eum esse, ubi gleba proscissa ad novam sementem sit relicta. *(Festus in Novalis.)*

Nuptias — — Aelius et Cincius, quia flameo caput nubentis obvolvatur. *(Fest. in Nuptias.)*

Obstitum — — Cincius eum, qui Deo Deaeque obstiterit. *(Fest. in Obstitum.)*

Prospera quaedam nomina usurpant antiqui, in E declinata, ut praefiscine extrema producta syllaba, videlicet ut occurrerent fascino, ut ait L. Cincius. *(Fest. in Prospera.)*

Refriva faba dicitur, ut ait Cincius quoque, quae ad sacrificium referri solet donum ex segete auspicii caussa, quasi revocent fruges, ut domum datantes revirtico ad rem divinam faciendam. *(Fest. in Refriva.)*

Sinistrae aves — — Varro libro quinto Epistolicarum quaestionum ait: a Deorum sede cum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes; factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quam dextera esse existimentur. Idem fere sentiunt Sinnius Capito et Cincius. *(Festus in Sinistrae.)*

Tuditantes, tudentes negotium, tondentes significare ait Cincius, id est agentes. *(Fest. in Tuditantes.)*

De quo verbo Cincius sic ait: Vindiciae olim dicebantur illae, quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant. *(Fest. in Vindiciae.)*

Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibebantur cum apicibus paludatae. *(Fest. in Salias.)*

DE RE MILITARI LIB. III.

Cincius in libro tertio de re militari, fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum iacientem, hisce verbis uti scripsit: QUOD. POPULUS. HERMUNDULUS. HOMINES. QUE. POPULI. HERMUNDULI. ADVERSUS. POPULUM. ROMANUM. BELLUM. FECERE. DELIQUERUNT. QUE. QUOD. QUE. POPULUS. ROMANUS. CUM. POPULO. HERMUNDULO. HOMINIBUS. QUE. HERMUNDULIS. BELLUM. IUSSIT. OB. EAM. REM. EGO. POPULUS. QUE. ROMANUS. POPULO. HERMUNDULO. HOMINIBUS. QUE. HERMUNDULIS. BELLUM. INDICO. FACIO. QUE. *(Gell. XVI, 4.)*

DE RE MILITARI LIB. V.

Item in libro eiusdem Cincii de re militari quinto ita scriptum est: Cum dilectus antiquitus fieret et milites scriberentur iusiurandum eos tribunus militaris adigebat in verba haec: IN. MAGISTRATU. C. LAELII. C. FILII. CONSULIS. L. CORNELII. P. FILII. CONSULIS. IN. EXERCITU. DECEM. QUE. MILIA. PASSUUM. PROPE. FURTUM. NON. FACIES. DOLO. MALO. SOLUS. NEQUE. CUM. PLURIBUS. PLURIS. NUMMI. ARGENTEI. IN. DIES. SINGULOS. EXTRA. QUE. HASTAM. HASTILE. LIGNA. POMA. PABULUM. UTREM. FOLLEM. FACULAM. SI. QUID. IBI. INVENERIS. SUSTULERIS. VE. QUOD. TUUM. NON. ERIT.

ERIT. QUOD. PLURIS. NUMMI. ARGENTEI. ERIT. UTI. TU. AD. C. LAELIUM. C. FILIUM. CONSULEM. L. VE. CORNELIUM. P. FILIUM. CONSULEM. SIVE. QUEM. AD. UTRUM. EORUM. IUS. ERIT. PROFERES. AUT. PROFITEBERE. IN. TRIDUO. PROXIMO. QUIDQUID. INVENERIS. SUSTULERIS. VE. SINE. DOLO. MALO. AUT. DOMINO. SUO. CUIUM. ID. CENSEBIS. ESSE. REDDES. UTI. QUOD. RECTUM. FACTUM. ESSE. VOLES. Militibus autem scriptis dies praefiniebatur, quo die adessent, et (ut) citanti consuli responderent; deinde ita concipiebatur iusiurandum, ut adessent, his additis exceptionibus: nisi harumce quae caussa erit, funus familiare, feriaeve denicales, quae non eius rei caussa in eum diem collatae sint, quo is eo die minus ibi esset; morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo praeterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsus eo die ibi sit; vis hostisve, status condictusve dies cum hoste: si cui eorum harumce quae caussa erit, tum se postridie quam per eas caussas licebit, eo die venturum, adiuturumque eum, qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit. Item in eodem libro verba haec sunt: Miles cum die, qui praedictus est, aberat, neque excusatus erat, infrequens dabatur. *(Gellius lib. XVI cap. 4.)*

LIB. VI.

Item in libro sexto hoc scriptum est: Alae dictae exercitus equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alae in avium corporibus, locabantur. In legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem. *(Gellius XVI, 4. Hoc continuo sequitur apud Gellium verba ex lib. V allata.)*

INCERTA.

Licet Varro et Tullius et Cincius, ut de consortio casuum diximus: Huius Serapis, huius Isis. *(Charisius lib. I pag.* 107 *ed. Putsch.)*

Alii, ut Cincius dicunt, delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit, a diluendo. *(Serv. ad Aen. II,* 225. *Vulgo omitt. Refer ad Cinciùm grammaticum.)*

Cincius et Cassius aiunt ab Evandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras, Faunas primo appellatas, postea fana dicta; et ex eo, qui futura praecinerent, Fanaticos dici. *(Serv. ad Georg. I,* 10. *Vulgo omittitur. Refer ad Cinc. grammat.)*

Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam, et Evander ad nos transtulerunt — — Grammatici praeterea Demetrius Phalareus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt, ex quibus Cincius, paucis, inquit, commutatis, ut ad linguam nostram pervenirent, eas namque Cadmus ex Phoenice in Graeciam, unde ad nos Evander transtulerat. *(Marius Victorinus art. grammat. lib. I pag.* 2468 *ed. Putsch. Vulgo h. l. omitt., sed legitur apud Q. Fab. Pict., cui derogavimus, et derogamus etiam Cincio Gelliisque historicis.)*

NUMERIUS FABIUS PICTOR.

Eodem tempore floruit Numerius Fabius Pictor, cuius Graecos annales Cicero laudat. Sed alia, quod sciam, eius memoria nusquam extat, nisi forte fragmenta aliqua, post Q. Fabii reliquias transscripta, huic nostro tribuenda sunt. Gaius Fabius Pictor, con-

sul cum Q. Ogulnio Gallo anno 485, fratrem (cf. Valer. Max. lib. IV, cap. 3) habuit Numerium Fabium C. F. M. N. Pictorem, quaestorem militarem a. 478, aedilem curulem a. 483, praetorem a. 486, consulem denique an 488 cum D. Iunio Pera. Atque huius filius Numerius Fabius Pictor a. 510 quaestor provincialis fuit. Utrum tamen Tullius in animo habuerit, contendi nequit, sed cum Vossio Numerium filium intelligo. Graecos autem annales scripsit, procul dubio de rebus Romanis Graeco sermone: certe Acilius, cuius Graeci annales afferuntur, Romanorum facta explicuit: cf. Liv. 25 c. 39 et 35 c. 14. Denique addamus Ciceronianum locum de divinat. I, 21 extr.: „Sint haec, ut dixi, somnia fabularum: hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt, quaeque illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt.“ Ita nomen P. Manutius (in ed. Davis.) se ex antiquis libris restituisse dicit, cum antea legeretur *innumerum Fabii.*

P. SCIPIO.

Numerium Fabium excipiat P. Cornelius Scipio Africanus, filius Africani maioris, pater adoptivus Scipionis Aemiliani, qui historiam quandam Graecam scripsit, sine dubio de rebus Romanis; siquidem Acilius in Graecis annalibus, quos laudat Livius l. 25 c. 39 et l. 35 c. 14, Romanorum res gestas Graece narravit. Sed accurate et copiose disputari de annalibus eius nequit, cum unius tantum Ciceronis testimonium supersit in Brut. cap. 20 init.: „Ipsum Sci-

pionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant eum oratiunculae, tum historia quaedam Graeca, scripta dulcissime.“ [1]) Praeterea Velleius ei vigorem eloquentiae tribuit I, 10 § 3.

C. ACILIUS C. F. L. N. GLABRIO.

A. u. c. 551 belli secundi Punici sexto decimo Cn. Servilio Caepione, C. Servilio Gemino consulibus Acilius noster quaestor provincialis fuit; tribunus plebis anno 557 C. Cornelio Cethego, Q. Minucio Rufo coss.; fuit etiam senator, ut Gellius testis est, apud quem haec verba legimus VII, 14 § 9: „Erant isti philosophi Carneades ex Academia, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus: et in senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore.“ Cf. Plut. Cat. c. 22. Macrob. Sat. I, 5. Cic. Academ. II, 45 § 137. Accidit autem res a. u. 599 P. Scipione et M. Marcello coss., cum C. Acilius iam ad summam senectutem pervenisset. Scripsit Graece historiam Romanam ab urbis primis temporibus usque ad suam aetatem, quod testantur, qui eum auctorem exhibent, Cicero, Livius, Plutarchus, alii. Quibus in rebus tradendis desierit, etsi affirmare non licet, tamen auctore Livio XXXV, 14 res anno 560 gestas

1) In Ciceronis loco vulgo male: tum *oratiunculae*. Etiam in Cic. Accusat. lib. IV cap. 4 init. scripserim: cum *in pace, tum etiam in bello*. Deinde apud Sueton. in Caes. c. 75 codicum auctoritatem sequens lego: cum *in administratione, tum in victoria*.

exposuit. Graecos eius annales, quos vocat Livius XXV, 39 et XXXV, 14, Claudius quidam (nam qui sit, ignotum est) in Latinum sermonem vertit, eamque Claudii translationem, historiarum Graece scriptarum quantum constat omnino primam, adhibuit Livius, ut ipse fatetur duobus locis, quorum primo (XXV, 39) maiorem etiam hostium numerum tradidit, quam Piso, et qui augendis numeris famosus est factus Valerius Antias. Ipsius autem Acilii Graecis annalibus usi sunt Cicero, Dionysius, Plutarchus, scriptorque libelli de origine gentis Romanae. Sed tamen non est cum Vossio existimandum, fecisse eum peculiarem librum de bello Hannibalico, a Cicerone adhibitum, sed, quod iam de Fabio Cincioque diximus, deque aliis etiam admonebimus, quae Cicero affert, ea in ipsis erant annalibus comprehensa. Denique Vossius, id quod in medio relinquo, eundem Acilium Glabrionem intellexit apud Atilium Fortunatianum, qui in libro de arte metrica pag. 2680 ed. Putsch. de versu Saturnio locutus ita rettulit: „In Acilii Glabrionis tabula: Fundit fugat prosternit maximas legiones.“

ACILII ANNALES GRAECI.

Et postquam ad classem rediit, repperitque mortuam *(Prochytam)*, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius, Acilius et Piso. *(Auct. de or. gent. Rom. cap.* 10 § 2. *Vulgo:* Vulcatius et Acilius Piso.*)*

Γάϊος δὲ Ἀκίλιος ἱστορεῖ, πρὸ τῆς κτίσεως τὰ ῥεύματα τῶν περὶ τὸν Ῥωμύλον ἀφανῆ γενέσθαι· τοὺς δὲ τῷ Φαύνῳ προσευξαμένους ἐκδραμεῖν γυμνοὺς ἐπὶ τὴν ζήτησιν, ὅπως ὑπὸ τοῦ ἱδρῶτος μὴ ἐνοχλοῖντο, καὶ διὰ

τοῦτο γυμνοὺς περιτρέχειν τοὺς Λουπέρκους. *(Plutarchus in Romulo p. 31 D. ed. Francof., cap. 21.)*

Ἔγωγ' οὖν ἐν τοῖσι τοῖς μεγαλοπρεπεστάτοις κατασκευάσμασι τῆς Ῥώμης, ἐξ ὧν μάλιστα τὸ τῆς ἡγεμονίας ἐμφαίνεται μέγιστον, τάς τε τῶν ὑδάτων ἀγωγὰς τίθεμαι, καὶ τὰς τῶν ὁδῶν στρώσεις, καὶ τὰς τῶν ὑπονόμων ἐργασίας, οὐ μόνον εἰς τὸ χρήσιμον τῆς κατασκευῆς τὴν διάνοιαν φέρων· ὑπὲρ οὗ κατὰ τὸν οἰκεῖον καιρὸν ἐρῶ· ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν τῶν ἀναλωμάτων πολυτέλειαν, ἣν ἐξ ἑνὸς ἔργου τεκμήραιτ' ἄν τις, Γάϊον Ἀκύλιον ποιησάμενος τοῦ μέλλοντος λέγεσθαι βεβαιωτὴν ὃς φησιν ἀμεληθεισῶν ποτε τῶν τάφρων καὶ μηκέτι διαῤῥεομένων, τοὺς τιμητὰς τὴν ἀνακάθαρσιν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπισκευὴν χιλίων μισθῶσαι ταλάντων. *(Dionysius lib. III c. 77 p. 200 lin. 24 ed. Sylburg.)*

Acilius autem, qui Graece scripsit historiam, plures ait fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut iureiurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. *(Cicero de officiis III, 32.)*

CLAUDII ANNALES ACILIANI LATINI.

Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii. Ad triginta septem milia hostium caesa auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit; captos ad mille octingentos triginta; praedam ingentem partam; in ea fuisse clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Bareini Hasdrubalis. *(Livius XXV, 39.)*

Claudius, secutus Graecos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse legatione tradit, eumque Ephesi collocutum cum Hannibale; et sermonem etiam unum refert, quo quaerenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondisse, Alexan-

drum Macedonum regem; quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset, quodque ultimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quaerenti deinde, quem secundum poneret; Pyrrhum dixisse: castra metari primum docuisse: ad hoc, neminem elegantius loca cepisse, praesidia disposuisse, artem etiam conciliandi sibi homines eam habuisse, ut Italicae gentes regis externi, quam populi Romani, tamdiu principis in ea terra, imperium esse mallent. Exequenti quem tertium duceret; haud dubie semet ipsum dixisse. Tum risum obortum Scipioni, et subiecisse: Quidnam tu diceres, si me vicisses? tum me vero, inquit, et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum, et ante omnes alios imperatores esse. *(Livius XXXV*, 14. *Idem narrat Appianus de b. Syriacis p.* 91.)

PHILINUS.

Non erit alienum hoc loco Graecos aliquos breviter afferre, qui eorum, quos modo recensuimus, ferme aequales, Romanam historiam attigerunt, Philinum dico, Silenum, Solios, Chaeream. Eorum Philinus Agrigentinus bellum inter Carthaginienses et Romanos gestum perscripsit, sed Polybio iudice lib. I cap. 14 init. Carthaginiensibus favit, ut Romanis Q. Fabius Pictor. Verum forsitan non ita dignus reprehensione nobis videri debeat, cum et Polybius severus, iustoque fortasse severior iudex sit, et Agrigentinos, quorum popularis noster fuit, male a Romanis tractatos esse constet. Etiam Diodorus Siculus in Eclogis lib. XXIII et XXIV Philinum auctorem exhibet; item Syncellus in chronographia pag. 155, alii. Polybius denique annalium laudat librum secundum lib. I c. 15 init.

SILENUS.

De Sileno ac Sosilo Lacedaemonio ita loquitur Cornelius Nepos in Hannibale extremo: „Huius bella gesta multi memoriae prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt, simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus et Sosilus Lacedaemonius.“ Eorum autem Silenus Calactinus ἐν τρίτῳ Σικελικῶν affertur ab Athenaeo lib. XII, 11 pag. 542, deinde laudatur a Dionysio Halicarnassensi (in Arch. Rom. lib. I pag. 5 lin. 33 ed. Sylburg.) inter eos, qui historiam Romanam attigerint, porro auctor dicitur a Livio XXVI, 49, a Plinio, a Solino polyhist. cap. 2; denique ita de eo Cicero de divinat. lib. I cap. 24: „Hoc idem in Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est: is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est.“

SOSILI ET CHAEREAS.

Sosilo illo Lacedaemonio, de quo modo dixi in Sileno, Hannibal litterarum Graecarum usus est doctore. De alio Sosilo Diodorus Siculus ait: Σώσιλος δὲ ὁ Ἴλιος τὰ περὶ Ἀννίβαν ἔγραψεν ἐν βιβλίοις ξ'. Lacedaemonium vero una cum Chaerea ita recenset Polybius lib. III, cap. 20 § 5: πρὸς μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων, οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σώσιλος, οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν· οὐ γὰρ ἱστορίας, ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς, ἐμοί γε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν.

M. PORCIUS CATO.

Nunc ut reliquorum historicorum aetates ac gradus persequamur, accuratior paulo historiae tractatio hoc ferme tempore fuit, cum Graecis litteris studiosius etiam tractatis, antiquitatum quoque studium florere inciperet. Sed eorum qui hoc in numero habendi sunt, princeps est M. Porcius Cato. Ortus municipio Tusculo tribunus militum in Sicilia fuit Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello consulibus a. u. c. 540; quaestor sub Scipione fortissimus anno 550 M. Cethego, P. Tuditano consulibus, quo tempore Cn. Naevius obiit; aedilis plebis factus est cum Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat: consulatum gessit cum L. Valerio Flacco anno 559, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit: censor collegam habuit, quocum consul fuerat, L. Valerium Flaccum, anno 570, quo mortuus est Plautus, P. Claudio, L. Porcio consulibus. Tum anno 597 Sex. Iulio Caesare, L. Aurelio Oreste consulibus cum aliis legatus missus est ad bellum inter Carthaginienses et Masinissam componendum. Obiit denique anno 605 L. Marcio, M'. Manilio coss., aetatis anno octogesimo quinto, ut Cicero et Plinius aiunt (Cic. in Brut. c. 15. 20. 23. Cat. mai. c. 10. 11.), sed secundum alios homo nonagenarius (Liv. XXXIX, 40 coll. Plut. c. 15 pag. 344. Valer. Max. VIII, 7, 1.). Praeter Aurel. Vict. de vir. illustr. cap. 47 aliosque et Livianam viro dignam laudem (Liv. 39, 40) cf. vitas Nepotis et Plutarchi. Fuit autem agricola sollers, rei publicae peritus, iurisconsultus, imperator, orator, de-

nique, etsi iam senior, litterarum cupidus, ut excelluerit omnibus rebus iis, quae apud Romanos in honore erant, omninoque Romani hominis summam effigiem repraesentet (Cic. de orat. III, 33. 135). Sed dicendum est nobis de Catone historico. Refert Cornelius in eius vita cap. 3: „Senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes ORIGINES videtur appellasse; in quarto autem bellum Punicum primum; in quinto secundum; atque haec omnia capitulatim sunt dicta; reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Ser. Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina.“ Dionysius Halicarnassensis in Ant. Rom. lib. I pag. 9 lin. 7: οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστὶ Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών. Solinus cap. 8 init.: „Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta est, praecipue a M. Catone, ut iam inveniri non possit, quod non veterum auctorum praesumpserit diligentia.“ Servius ad Aen. VI, 842: „Censorium *(Catonem)* dicit, qui scripsit historias: multa etiam bella confecit.“ Servius ad Aen. VII, 678: „De Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit, et Cato in Originibus.“ Servius ad Aen. IX, 603: „Italiae disciplina et vita laudatur: quam et Cato in Originibus, et Varro in Gente Populi Romani commemorat.“ Quod ad titulum pertinet, inscripsit libros Origines, quemadmodum

vulgo etiam appellari solent. Glossae veteres *Origo ἀρχαιολογία*. Cornelius tamen Nepos vocat historias, item Charisius lib. II pag. 191 ed. Putsch. (fragm. Origg. lib. II extr.), qui etiam Origines appellavit, Plutarchus in Cat. cap. 20 *ἱστορίας*. Annales dicunt Livius in epitome lib. XLIX med. et Plinius in Hist. Nat. VIII, 5. Verrius Flaccus et Festus Originum nomen minus convenire contenderunt, sed inscriptionis caussam Nepos explicuit. Festus in *Originum*: „Originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando praegravant ea, quae sunt rerum gestarum populi Romani.“ Capitulatim Catonem res exposuisse idem Cornelius ait, neque iniuria: cf. Augustin. Dial. XI Antiquitat. Quanquam, si fragmenta inspicias, aliqua a nostro copiosius relata invenies, quam sunt a posterioribus scriptoribus tradita: cf. fragm. de Caedicio apud Gell. Noct. Att. III, 7 sqq. Atque plenissime res exposuisse dicitur a Solino cap. 8, a Servio ad Aen. VII, 678. XI, 567 sqq. Tum Cornelio teste bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit, procul dubio, quia libros ad antiquitatem potissimum exemplis cognoscendam conscripserat. Idem autem perspicitur etiam ex Gell. III, 7. X, 24 cet. et ex verbis Plinii in Hist. Nat. VIII, 5: „Certe Cato, cum imperatorum nomina annalibus detraxerit, eum, qui fortissime proeliatus esset in Punica acie, Surum tradit vocatum, altero dente mutilato.“ Intelligitur autem facile, quantopere Origines diversae fuerint ab annalibus, in quibus consulum nomina in singulorum annorum historia addebantur, quique non indagata civitatum origine res gestas simpliciter narrabant. Porro Origines, si id recte e Charisio colligitur, expli-

cavit quondam Statilius Maximus [1]). Denique eas scripsit senex; nam quod possis ex Livianis verbis coniicere (lib. XXXIV c. 5 coll. 15: „Tuas adversus te Origines revolvam"), ante consulatum Origines a Catone conscriptas fuisse: certum tamen est, Livium, cum ita L. Valerium tribunum contra Catonem consulem loquentem faceret, ad tempora non accurate attendisse, Valeriumque, ut assolet, ex sua ipsius mente dicentem induxisse. Tum de dicendi genere Ciceronis aetate diversa iudicia fuisse, perspicitur ex Bruto, ubi cap. 17 ita Tullius ait: „Iam vero Origines eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt" sqq. Contradicit aliquanto post Atticus (cap. 85), ne suspicatum quidem hominem Tusculanum, quale esset copiose et ornate dicere. Verum in Bruto multum se tribuisse Latinis ipse Cicero in oratoris cap. 7 ait; omnes enim ibi commemoravit, qui ausi sunt aliquando stantes loqui, ut scribit in Bruto cap. 77 extr.; inque secundo de oratore libro cap. 12 rectius Catonem in eorum numero ponit, qui non teneant, quibus rebus ornetur oratio, unamque dicendi laudem putent esse brevitatem. Catonem vero imprimis multa paucis absolvisse, imitator

1) Suspicati id sunt docti homines; sed tamen de rei veritate facile dubitaveris. Charisius lib. II p. 191: „Primo pedato. Cato senex in historiarum II: In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multatis, alteras oppidum vi captum, alteras primo pedato et secundo, ut Maximus notat, hodieque nostri per Campaniam sic loquuntur." Charis. II p. 213 ed. Putsch: „Vita deum immortalium. Cato senex, ubi Statilius Maximus, ἐκφώνησις, inquit, ἀρχαϊκή, ὡς ὦ πόποι." Idem II p. 181: „Imperialiter. Cato senex, ubi Maximus pro nimis imperiose et dure." Dixerat etiam Maximus Statilius de verbis Ciceronis et Sallustii: cf. index Putschii.

eius, Sallustius in historiarum fragmentis dicit, vocatque eum Romani generis disertissimum (Victorin. ad Cic. de Invent. in Sallust. ed. Havercamp. tom. II p. 2). Antiquior autem fuit eius sermo, et quaedam horridiora verba; deerant etiam numeri (Cic. Brut. cap. 17 coll. orat. c. 45 de orat. I, 37 § 171 sqq.). Cum Ciceronis et Sallustii iudiciis consentit etiam Plutarchus ita referens pag. 339 cap. 7: Εὔχαρις ἅμα καὶ δεινὸς, ἡδὺς καὶ καταπληκτικὸς, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρὸς, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός. Et paulo ante pag. 337 C ed. Francof. cap. 2 extr.: ἄλλως δὲ παιδίας Ἑλληνικῆς ὀψιμαθὴς γενέσθαι λέγεται, καὶ πόρρω παντάπασιν ἡλικίας ἐληλακὼς, Ἑλληνικὰ βιβλία λαβὼν εἰς χεῖρας, βραχέα μὲν ἀπὸ Θουκυδίδου, πλείονα δ' ἀπὸ Δημοσθένους εἰς τὸ ῥητορικὸν ὠφελισθῆναι. τὰ μέντοι συγγράμματα καὶ δόγμασιν Ἑλληνικοῖς καὶ ἱστορίαις ἐπιεικῶς διαπεποίκιλται· καὶ μεθηρμηνευμένα πολλὰ κατὰ λέξιν, ἐν τοῖς ἀποφθέγμασι καὶ ταῖς γνωμολογίαις τέτακται. Sed de imitatione Thucydidis idem possis contendere de Sallustio ac Tacito, quorum alter ille et Catonis (Sueton. Aug. c. 86 coll. de ill. gramm. c. 15) et Thucydidis aemulus (Quintil. X, 1) ab ipsis veteribus dicitur. Horatius de arte poetica v. 56:

„— — cum lingua Catonis et Ennii
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit?“

Verum missis permultis aliorum iudiciis (cf. Lion. Catoniana p. 13), Fronto Ciceronem secutus praecipue propter Origines Catonem laudibus extulit (cf. princip. histor. fr. VII t. II p. 358 Mai.). Postea vero, cum ad veterum dicendi genus reciderent, cum multa venustate atque luce atque munditia verborum scripsisse habitus est (Gell. I, 23), nec dubitavit Hadrianus Catonem ipsi Ciceroni praeferre. Hoc loco

de Originum scriptura, consilioque, quo libros confecerit, Plutarchi verba addere liceat (Cat. cap. 20 pag. 348 B ed. Franc.): Τὰς ἱστορίας συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχῃ τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι. Τὰ δ' αἴσχιστα τῶν ῥημάτων οὐχ ἧττον εὐλαβεῖσθαι, τοῦ παιδὸς παρόντος, ἢ τῶν ἱερῶν παρθένων, ἃς Ἑστιάδας καλοῦσι. Συλλούσασθαι δὲ μηδέποτε καὶ τοῦτο κοινὸν ἔθος ἔοικε Ῥωμαίων εἶναι. Iam vero ut disseram de eius auctoritate, licet fidem ei interdum scriptores insecuti derogent, id quod nemini non accidit [2]): tamen nullo pacto dubitandum est, quin unus omnium, plus etiam quam Cincius, a recentioribus ob fidem nimis laudatus, singulari cum diligentia ac religione res indagarit, et indagatas memoriae mandarit. Namque, ut hoc breviter attingam, Livius, quod in priore potissimum annalium parte Catonem neglexit, in errores interdum incidit. Cluilium enim sive Coelium (nam nomen apud Catonem non constat) Albanorum regem dicit, Cato rectius praetorem (fragm. Origg. lib. I), unde intelligitur etiam, cur post eius mortem dictator ab Albanis dictus sit, ut rettulit Licinius Macer apud Dionysium lib. V pag. 337 ed. Sylburg. Diligentiae autem et religionis iudiciique summi fidem facit aera, adhibita a Livio, Dionysio, aliis, omninoque vulgaris facta, donec sub imperatoribus Varroniana praeferri coepta est, quanquam Frontinus secundum Catonianam computavit, ut

2) Flavius Vopiscus in Aureliano cap. 2: „me contra dicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodente quinetiam in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur“ sqq.

Transpadanus Nepos et Lutatius (Solin. c. 2): quin etiam fasti Capitolini (Scaliger. Em. T. 387) et M. Fulvii Nobilioris, in quem Cato dixit [3]), ad eandem confecti sunt. Tum Dionysius de aera illa dicens, multosque scriptores afferens, ita de M. Porcio loquitur lib. I pag. 60: ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος, εἰ καί τις ἄλλος, εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας. Tum lib. I pag. 9 (cap. 11) Dionysius: Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών. Syncellus pag. 155: Πόρκιος δὲ Κάτων ἀνὴρ φιλόπονος περὶ συναγωγὴν τῶν ἀρχαιολογουμένων ἱστοριῶν. Porro a Cicerone in Tuscul. IV, 2 gravissimus auctor dicitur, et Velleius I, 7 extr.: „Ego, pace diligentiae Catonis dixerim, vix crediderim" cet. Extulit etiam in hoc opere laudes suas, ut profitetur Plutarchus: πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις ὄγκον περιτέθεικε cet. (cf. fragm. Plut. p. 344 cap. 14); deinde Livius XXXIV, 15 extr.: „Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum, multos caesos ait; numerum non adscribit." Sed quantam in eiusmodi rebus fidem mereat, ipse iudices. Etsi autem pro Romanorum hominum ad res vetustas indagandas ac tractandas indole ingeniique ratione tantis laudibus maxime dignus est: tamen res eum novas et inauditas recentiorum perscrutationibus admodum similes protulisse, nullo modo suspicandum est, propterea quod veteres id quidem non tradunt, quodque fragmenta non

3) Fragmenta huius orationis vide in vulgaribus collectionibus: Catoniana ed. Lion. pag. 62. Omnes tamen omiserunt locum Ciceronis de orat. II, 63 § 256: *ut Nobiliorem, mobiliorem Cato.* Nuper demum, postquam haec scripsi, recte fragm. huc rettulisse video Meyerum in fragmentis oratorum Romanorum pag. 27.

ita insignem a vulgari historia discrepantiam ostendunt. Nae auctor sententiae huius, si extarent Origines, cum hoc Catone contentus non esset. Consultavit autem Cato monumenta historicosque superiores: certe de Q. Fabio Dionysius testatus est lib. I pag. 64 extr., quanquam non ubique cum eo consentit: cf. Dionys. lib. IV p. 220. Deinde, quod non minus est fidei argumentum putandum, praeter Livium, Dionysium, Sisennam (Serv. ad Aen. XI, 360 cf. fragm. Orig. lib. I), Sallustium (Serv. ad Aen. I, 6 cf. fragm. Orig. lib. I) aliosque scriptores permultos, secutus est eum accuratissimus auctor Coelius, qui quidem aliqua ex Originibus ad verbum transscripsit: cf. Macrob. Saturnal. lib. I cap. 4 extr., procul dubio etiam Cassius Hemina, ex cuius annali tertio eadem verba laudantur, quae Cato in secundo Originum scripserat: Priscian. X p. 903 ed. Putsch: *Cato in secundo Originum: In campo Tiburti, ubi hordeum demessuit* cet. id. ibid. *Cassius Hemina in tertio annalium: In campo Tiburti, ubi hordeum demessuerunt:* coll. Prisc. super XII vers. Aen. lib. VI pag. 1254 ed. Putsch. Sed admirabile videri potest, quod Cato res inde ab exactis regibus usque ad primum Punicum bellum omisit. Fortasse tamen clades illo tempore factas nec narrare, nec, ut ceteri, obtegere voluit, vel denique, nisi alia caussa fuerit, rerum perscrutator ille, qui nihil posse novi dici videret, his verbis rei rationem reddit in Originum quarto apud Gellium Noct. Att. II, 28 extr.: „Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstiterit.“ Iam missis ceterorum scriptorum fragmentis, ea tantum transscribemus, quae ad historiarum libros septem (tot enim confecit) pertinent, etiam

etiam orationes pro Rhodiensibus, quae fuit Originum quinto inclusa, (Liv. XLV, 25 coll. Gell. VII, 3) et in Servium Galbam, quam quidem in septimum Originum librum rettulit, paucis antequam mortuus est, an diebus, an mensibus (Cic. Brut. cap. 23. de orat. I, 53. Liv. in epit. lib. XLIX. Nepos in Cat. c. 3. Valer. Max. VIII, 1 § 2. Gell. XIII, 24 § 15) [4]. Denique *Poenorum* libros, quorum *quartum* Festus laudat sub *Meritavere*, ad Origines spectare puto, siquidem quarta, Nepote teste, continuit bellum Punicum primum [5]. Incertum tamen mihi videtur, num referenda huc sint, quae *de bello Carthaginiensi* laudantur a Nonio in *Calliscerunt*, quaeque non nominato libri indice afferuntur ab A. Gellio in Noct. Att. III, 14, et Servio ad Aen. IV, 682. Possunt enim facile etiam ex oratione, quam de hoc bello habuit, desumpta videri.

4) Etiam C. Fannius Q. Metelli orationem contra Tiberium Gracchum in annalibus exposuerat: Cic. Brut. cap. 21 § 81 coll. Plutarch. in Gracchis pag. 826 A ed. Francof.

5) Parum mihi recte videtur statuere Meyerus in fragm. orat. Rom. p. 56, ad Gellii verba III, 14 (quae vide in Origg. lib. IV extr.) haec annotans: *Incertum vero, ex oratione de bello Carthaginiensi haec sint sumta, an ex Poenorum historia, ab eodem Catone singulari libro composita, cuius apud Festum v.* Meritavere *extat fragmentum, et a Servio ad Virg. Aen. IV*, 682; *nec non ad lib. I*, 343 *et* 738 *fit mentio, etsi in extremis duobus locis auctorem non nominat.* De peculiari libro nulla fit diserta mentio; Festus laudat *Poenorum quartum*; Servius ad Aen. IV, 682 non citat librum. Cf. annot. ad Origg. lib. IV extr. Quanquam alii iam perperam contenderunt Catonem *bellum Carthaginiense* de Originibus diversum scripsisse; sed hi nisi non sunt, nisi locis Nonii. Cf. interpp. ad Sallust. histor. fr. ed. Haverc. tom. II p. 2.

ORIGINUM

LIB. I.

Cato quoque Origines sic inchoat: Si quies sunt homines. *(Servius art. gramm. p.* 506 *ed. Lindemann.)*

Si ques homines sunt, quos delectat populi res gestas describere. *(Pompeius Comment. Art. Donat. pag.* 254 *ed. Lindemann.)*

Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi: Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii rationem extare oportere. *(Cicero pro Plancio cap.* 27 *§* 66*)* [1]).

P. Scipionem, eum qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum, scripsit Cato, qui fuit fere eius aequalis, nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset. — Quam est hic fortunatus putandus . . . qui ut Africanum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, nunquam se plus agere quam nihil cum ageret, nunquam minus solum esse, quam cum solus esset. *(Cicero de officiis III,* 1 *princ. De re publica I,* 17.*)*

Idem *(Cato)* in primo Originum: Agrum, quem Volsci habuerunt, campestris plerus Aboriginum fuit. *(Priscianus V pag.* 668 *ed. Putsch. Idem legitur Prisc. VI p.* 696.*)*

---

1) Columella II, 22: „Tam otii quam negotii rationem reddere maiores nostri censuerunt.“ XI, 1: „Illud verum est M. Catonis oraculum: Nihil agendo homines male agere discunt.“ Iustinus in praefatione: „Quod ad te, non tam cognoscendi, quam emendandi caussa transmisi: simul ut et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret.“

Cato in primo Originum: Antemna veterior est, quam Roma. *(Priscian. VI pag.* 716.*)*

Sed veram huius contumacissimi nominis caussam in primo libro Originum Catonis diligens lector inveniet; ait enim Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant; et Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse: IUPPITER. SI. TIBI. MAGIS. CORDI. EST. NOS. EA. TIBI. DARE. POTIUS. QUAM. MEZENTIO. UTEI. NOS. VICTORES. FACIAS. *(Macrobius Saturnal. lib. III cap.* 5 *extrem.)*

Nam si veritatem historiae requiras, primo proelio interemptus Latinus est in arce; inde, ubi Turnus Aeneam vidit superiorem, Mezentii imploravit auxilium; secundo proelio Turnus occisus est, et nihilominus Aeneas postea non comparuit; tertio proelio Mezentium occidit Ascanius. Hoc Livius dicit et Cato in Originibus. *(Serv. Aen. IX,* 745 *coll. Liv. I,* 2. *Vulgo ad incerta fragm. refertur.)* [2])

*** *(*Burm. *Cato in Originibus)* dicit, Latinum ex Ulixe et Circe editum, de nomine sororis suae mortuae Romen civitatem appellasse. *(Serv. ad Aen. I v.* 273. *Vulgo ad incert. fragm. ref.)*

Cato eum *(Anchisem scl.)* in Originibus ad Italiam venisse docet. *(Serv. ad Aen. III,* 711. *Vulgo ad incert. fragm.)*

In hoc autem monte *(Erycino)* dicitur etiam

---

2) Si verum est, quod affirmat Macrobius, ut Catonis locus, quem habet in Saturn. III, 5, ad primum Originum librum pertineat: non iniuria, opinor, etiam cetera fragmenta, incerta vulgo habita, huc quidem rettuli. Quanquam intelligo, propter Originum rationem, ab annalibus maxime diversam, non satis certo ad certos libros fragmenta referri posse.

Anchises sepultus: licet secundum Catonem ad Italiam venerit. *(Serv. Aen. I,* 570. *Vulg. ad incert. fr.)*

Sciendum sane, Varronem dicere, Diomedem eruta Anchisae ossa filio reddidisse: Catonem autem affirmare, quod Anchises ad Italiam venerit: tanta est inter ipsos varietas, et historiarum confusio. *(Serv. Aen. IV,* 427. *Vulg. ad incert. fr.)*

At Cato in origine generis Romani ita docet: Suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium: cumque Aeneas ibi urbem condere constituisset, propterque agri sterilitatem metueret, per quietem ei visa Deorum Penatum simulacra, adhortantium, ut perseveraret in condenda urbe, quam coeperat; nam post annos totidem, quot fetus illius suis essent, Troianos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, et urbem clarissimi nominis in Italia condituros. *(Cap.* 13*)* Igitur Latinum Aboriginum regem cum ei nunciatum esset, multitudinem advenarum classe advectam occupavisse agrum Laurentem, adversum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas copias eduxisse. Ac prius, quam signum dimicandi daret, animadvertisse Troianos militariter instructos, cum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quae eis integumento erant, sinistris manibus involutis, processissent. Itaque suspenso certamine, per colloquium inquisito, qui essent, quidve peterent, utpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur; namque extis ac somniis saepe admonitus erat, tutiorem se adversum hostes fore, si copias suas cum advenis coniunxisset. Cumque cognovisset, Aeneam et Anchisen bello patria pulsos, cum simulacris deorum errantes, sedem quaerere, amicitiam foedere inisse, dato invicem iureiurando, ut communes quoque hostes amicosve haberent.

Itaque coeptum a Troianis muniri locum, quem Aeneas ex nomine uxoris suae, Latini regis filiae, quae iam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At vero Amatam, Latini regis uxorem, cum indigne ferret, Laviniam, repudiato Turno consobrino suo, Troiano advenae collocatam, Turnum ad arma concitavisse; eumque mox, coacto Rutulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurentem, et adversus eum Latinum pariter cum Aenea progressum, inter proeliantes circumventum occisumque. *(Auct. de orig. gent. Rom. cap.* 12 § 5 *et cap.* 13. *Vulgo ad incerta fragm.)*

Cato in Originibus ait, Caeculum virgines aquam petentes in foco invenisse, ideoque Vulcani filium existimasse; et quod oculos exiguos haberet, Caeculum appellatum. *(Angeli Maii interp. ad Virgil. Aen. VII,* 681. *Vulgo om. aut ad incerta fr.)*

Latini Ascanium ob insignem virtutem non solum Iove ortum crediderunt, sed etiam per diminutionem, declinato paululum nomine, primo Iobum, dein postea Iulum appellarunt, a quo Iulia familia manavit, ut scribunt Caesar lib. II et Cato in Originibus. *(Auct. de orig. gent. Rom. cap.* 15 § 5. *Vulg. ad incert. fr.)*

Cato dicit, iuxta Laurolavinium cum Aeneae socii praedas agerent, proelium commissum: in quo Latinus occisus est, fugit Turnus, et Mezentii auxilio comparato victus quidem est ab Aenea; qui tamen Aeneas in ipso proelio non comparuit. Ascanius vero postea Mezentium interemit. *(Serv. Aen. IV,* 620. *Vulg. ad incert. fr. Cf. fr. pag.* 99 *transscripta Macrob. Sat. III,* 5 *extr. et Serv. Aen. IX,* 745.*)*

Licet superius historia sit narrata, tamen etiam secundum Catonem historiae hoc habet fides: Aeneam

cum patre ad Italiam venisse, et propter invasos agros contra Latinum Turnumque pugnasse, in quo proelio periit Latinus. Turnum postea ad Mezentium confugisse, eiusque fretum auxilio bella renovasse, quibus Aeneas Turnusque pariter rapti sunt. Migrasse postea in Ascanium et Mezentium bella: sed eos singulari certamine dimicasse, et occiso Mezentio Ascanium (sicut I Caesar scribit) Iulum coeptum vocari, (vel quasi Iuloni, id est sagittandi peritum, vel) a primae barbae lanugine (quam ἴουλον Graeci dicunt) quae ei tempore victoriae nascebatur. *(Serv. Aen. I v.* 267. *Vulg. ad incert. fragm.)*

Aeneas, ut Cato dicit, simulac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem, propter quod Turnus iratus, tam in Latinum, quam in Aeneam bella suscepit a Mezentio impetratis auxiliis. *(Serv. Aen. VI,* 760. *Vulgo ad incerta fragm.)*

Unde sequenda est potius Livii, Sisennae et Catonis auctoritas. Nam paene omnes antiquae historiae scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in Originibus dicit, Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana. Hic etiam modum agri commemorat, et dicit eum habuisse iugera DCC. *(Serv. Aen. XI,* 316. *Vulgo ad incerta fr.)*

Troiam autem dici, quam primum fecit Aeneas, et Livius in primo, et Cato in Originibus testantur. *(Serv. Aen. I,* 5. *Vulgo ad incerta fragm.)*

Sciendum civitatem, quam primo fecit Aeneas, Troiam dictam, secundum Catonem et Livium. *(Serv. Aen. VII,* 158. *Vulgo ad incerta fr.)*

Licet Metabus Privernas esset, tamen quia in Tuscorum iure paene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnium odia ferebantur; nam pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipse Etruscorum

potestate regebatur; quod Cato plenissime executus est. *(Serv. Aen. XI,* 567. *Vulgo ad incerta fr.)* [3])

Tamen Cato in Originibus hoc dicit, cuius auctoritatem Sallustius sequitur in bello Catilinae: Primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines. Hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos, Latinos uno nomine nuncupatos. *(Serv. Aen. I,* 6. *Sallust. Catil. cap.* 6. *Vulgo ad incerta fr.)* [4])

— — quod Cato ait: triginta annis expletis eum *(Ascanium)* Albam condidisse. *(Serv. Aen. I,* 269. *Vulgo ad incerta fragm.)*

Κάτων δὲ Πόρκιος Ἑλληνικὸν μὲν οὐχ ὁρίζει χρόνον· ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος, εἰ καί τις ἄλλος, εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας, ἔτεσιν ἀποφαίνει δυσὶ καὶ τριάκοντα καὶ τετρακοσίοις ὑστεροῦσαν τῶν Ἰλιακῶν. ὁ δὲ χρόνος οὗτος ἀναμετρηθεὶς ταῖς Ἐρατοσθένους χρονογραφίαις, κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος πίπτει τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος. *(Dionys. Hal. lib. I pag.* 60 *lin.* 14 *ed. Sylburg; cap.* 74. *Vulgo ad incerta fragm. refertur.)*

Πόρκιος δὲ Κάτων ἀνὴρ φιλόπονος περὶ συναγωγὴν τῶν ἀρχαιολογουμένων ἱστοριῶν, μετὰ τὰ Τρωϊκὰ χρόνοις ὕστερον υλβ'. οὗτος δὲ ὁ χρόνος κατὰ τὴν τοῦ Ἐρατοσθένους χρονολογίαν τῷ πρώτῳ ἔτει συμπίπτει *,** ὀλυμπιάδος. *(Georgius Syncellus in chronographia pag.* 155. *Cf. Q. Fabii Pictoris et L. Cincii Alimenti fragm. pag.* 52 *et* 74.*)*

---

3) De Volscis Catonem in primo Originum dixisse, testis est Priscianus lib. V pag. 668 et VI pag. 696; cf. pag. 98. Tum de Etruscis eum primo libro egisse, affirmat Servius ad Aen. X, 179, quo tamen loco alii libri numerum omittunt; cf. p. 106.

4) Etiam de Aborigínibus in primo disseruit, ut auctor Priscianus est locis modo in priore annotatione citatis.

Οἱ δὲ λογιώταται τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών, καὶ Γάϊος Σέμπρώνιος, καὶ ἄλλοι συχνοὶ, Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωϊκοῦ μεταναστάντας. οὐκέτι μέντοι διορίζουσιν οὔτε φῦλον Ἑλληνικὸν, οὗ μετεῖχον, οὔτε πόλιν ἐξ ἧς ἀπανέστησαν, οὔτε χρόνου, οὗ ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, οὗ ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον· Ἑλληνικῷ τε μύθῳ χρησάμενοι, οὐδένα τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιωτὴν παρέσχοντο. τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς ὅπως ποτ' ἔχει, ἄδηλον. *(Dionysius Hal. lib. I pag. 9 lin. 7 ed. Sylburg. cap. 11. Vulgo ad incerta fragm.)*

Οἷς ἐγὼ πειθόμενος, εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὰ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ, καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται, τούτων ἔγγονον· αὐτὸ τῶν Οἰνώτρων πείθομαι. *(Dionys. lib. I pag. 11 lin. 13 cap. 13. Vulgo ad incerta fr. refertur.)*

Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιος δὲ Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος — — ἠκολούθησαν, τῇδε γράφει *cetera. (Dionys. lib. I pag. 64; cap. 79. Cf. fr. Quinti Fabii Pictoris pag. 52. Vulg. ad incert. fr.)*

Tuas adversus te Origines revolvam. Accipe, quotiens id fecerint *(matronae)*, et quidem semper bono publico. Iam a principio regnante Romulo, cûm, capitolio ab Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, nonne intercessu matronarum inter acies duas proelium sedatum est? Quid? regibus exactis *sqq. (Liv. 34 cap. 5. Vulgo ad incerta fragm. Sed Nepote auctore primo libro regum historiam narravit.)*

Prosimurium esse ait Antistius in commentario

iuris Pontificalis, pomoerium, i. e. locum proximum muro (s. i. e. est post murum), ut ait Cato. Olim quidem omnes auspicabantur extra Aventinum, nunc etiam intra aedificia. *(Festus in Prosimurium. Vulgo ad prorsus incerta fragm. Libenter tamen ad primum librum rettulerim.)*

Διεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν, ὡς μὲν Φάβιός φησιν, εἰς μοίρας ἓξ καὶ εἴκοσιν, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλὰς, καὶ τὰς ἀστικὰς προστιθεὶς αὐταῖς τέτταρας, τριάκοντα πεποίηκε φυλὰς ἀμφοτέρων. Κάτων μέντοι τούτων ἐπὶ Τυλλίου τὰς πάσας γενέσθαι λέγει. ὡς δὲ Οὐενώνιος ἱστόρηκεν, εἰς μίαν καὶ τριάκοντα φυλὰς, ἀξιοπιστότερος ὢν, οὐχ ὁρίζει τῶν μοιρῶν τὸν ἀριθμόν. *(Dionysius lib. IV pag. 220 lin. 9; cap. 15. Vulgo item ad prorsus incerta fragm. Sed hic apertior res est auctore Nepote.)*

Cato ait, Larentiam meretricio quaestu locupletatam post excessum suum populo agros Turacem, Semurium, Lutirium, et Solinium reliquisse, et ideo sepulcri magnificentia et annuae parentationis honore dignatam. *(Macrob. Saturn. I cap. 10. Vulgo item ad prorsus incerta fragm. refertur.)*

Cato Censorius in primo Originum: Sed lucus Capenatis. *(Priscian. IV p. 629 et VII p. 762.)*

Cato in primo Originum: Inde est ferme mille passuum. *(Gellius Noct. Att. I, 16 § 4.)*

Cato Originum libro primo: Veteres prosapias et multa alia apud multos. *(Nonius: Prosapies.)*

Eos *(oratores)* nostri alii (alias?) pro (Pop. Rom.?) pro legatis appellant, ut Cato ..... in Originum libro primo: Propter id bellum coepit Coelius praetor Albanus, oratores misit Romam, cum .... *(Festus: Oratores pro legatis, pag. 310 ed. Dac.)*

Cato Originum libro primo: Igitur tertio pedato

bellum nobis facere. *(Nonius: Pedato pro repetitu vel accessu.)*

Cato Originum libro primo: Fana in eo loco compluria fuere; ea exauguravit, praeterquam quod Termino fanum fuit, id nequitum exaugurari. *(Festus: Nequitum et nequitur pro non posse.)*

Cato in primo Originum: Nam de omni Tusculana civitate soli L. Mamilii beneficium gratum fuit. *(Priscian. VI p.* 694 *ed. Putsch, qui perperam habet:* Lucillii Manilii. *Cf. Liv. III,* 18. 29. *Dionys. X,* 16. 18. *et ed. Krehlii.)*

Cato Originum primo: Vehes, ait, ligni. *(Charisius I pag.* 55 *ed. Putsch.)*

Cato Originum primo: Qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum negat sibi compertum; sed inveniri Tarchontem Tyrrheno oriundum, postquam eorundem sermonem ceperit, Pisas condidisse, cum ante regionem eandem Teutones quidam, Graece loquentes, possederint. *(Servius ad Aen. X,* 179 *ed. Lion. Sed al. num. omitt.)*

LIB. II.

Ibid. *(Cato in II)*: Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Laebius Tusculanus dedicavit, dictator Latinus. Hi populi communiter, Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus. *(Priscian. IV p.* 629 *et VII p.* 762.) [5]

Cato in secundo Originum: Marsus hostem occidit, priusquam Pelignus: propterea Marrucini vocantur, de Marso detorsum nomen. *(Priscian. IX p.* 871.)

---

5) Multa procul dubio fragmenta, quae certo alicui libro non tribui, Nepote auctore ad alteram tertiamque Originem pertinent.

Idem *(Cato)* in II: Si quis mortuus est Arpinatis, eius haeredem sacra non sequuntur. *(Prisc. IV p.* 629 *ed. Putsch. coll. VII p.* 762.*)*

Cato in II *(cod. Dresd.* V*)* Originum: In campo Tiburti, ubi hordeum demessuit, idem in montibus serit; ubi hordeum idem iterum messuit. *(Prisc. X p.* 903.*)*

Cato in II Originum: In campo Tiburti, ubi hordeum demesssuit. *(Prisc. super XII vers. Aen. lib. VI p.* 1254 *ed. Putsch.)*

Tibur, sicut Cato testimonium facit, a Catillo Arcade, praefecto classis Evandri, sicut Sextius, ab Argiva iuventute. *(Solin. c.* 8. *Vulgo ad incerta fr.)*

Ques autem dixisse veteres, testimonio est Cato, qui ait Originum secundo: Quescunque Romae regnavissent. *(Charis. I p.* 70. *Cf. Orig. I init.)*

Originum libro secundo: In maximum decus, atque in excelsissimam claritudinem sublimavit. *(Festus in sublimavit.)*

Cato in secundo: Ex sale, qui apud Carthaginienses fit. *(Prisc. V p.* 659.*)* [6])

Cato Orig. lib. II: Si indus navis putidas atque sentinosas commeatum ponere volebant. *(Non. putidum.)*

Cato in secundo Originum: Itaque res huber fuit, antequam vastassent legiones. *(Prisc. V pag.* 647.*)*

Cato Orig. lib. II: Qui aquatum ut lignatum videntur ire, securim atque solum ferunt, gelum crassum excidunt, eum loco colligatum auferunt. *(Non. Gelus.)*

Ligures autem omnes fallaces sunt, sicut ait Cato in secundo Originum libro. *(Servius XI vers.* 700.*)*

---

6) Si non additus esset numerus, quis quaeso referret fragm. ad librum secundum? Liceat autem de numero dubitare, cum in eo menda oppido multa inesse soleant.

Cato Originum II, cum de Liguribus loqueretur: Sed ipsi, unde oriundi sunt exacta memoria illiterati, mendacesque sunt et vera minus meminere. *(Serv. Aen. XI,* 715.*)*

M. Cato Originum secundo: Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui. *(Charis. II p.* 181 *ed. Putsch: industriosissime.)*

An non M. Cato scribit in libro Originum sic: Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium. In eo agro aliquotfariam in singula iugera dena cullea vini fiunt. *(Varro de re rust. I,* 2 *§* 7. *Vulgo ad incerta fragm.)*

Cato Originum secundo: Papaver Gallicanus. *(Charis. I p.* 64.*)*

In secunda quoque Origine M. Cato non longe secus hac particula usus est: Neque satis, inquit, habuit, quod eam in occulto vitiaverat, quin eius famam prostitueret. *(Gell. XVII,* 13 *§* 4.*)*

Cato senex in historiarum secundo: In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multati, alteras oppidum vi captum, alteras primo pedato et secundo. *(Charis. II p.* 191.*)*

Idem *(Cato)* in II: Qui tantisper nullae rei sies, dum nil agas. *(Prisc. VI p.* 717.*)*

LIB. III.

— in tertia Origine M. Catonis: Haud eos, inquit, eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient. *(Gell. XVII,* 13 *§* 3.*)*

Cato Originum tertio: Laserpitium pro pulmentario suo habet. In eodem: Multo pulmento usi. *(Charis. I p.* 56 *ed. Putsch.)*

Cato Originum libro tertio: Equos respondit: Oreas mihi inde, tibi cape flagellum. *(Festus: Oreae, freni.)*

Item Cato in Originibus tertio: Rhegini Taurocini vocantur de fluvio, qui praeterfluit. Id oppidum Aurunci primo possederunt: inde Achaei Troia domum redeuntes. In eorum agro fluvii sunt sex; septimus fines Rheginorum atque Taurinum dispescens; fluvio nomen est Paccolico. Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum venisse. Et non longinqua memoria est, cum in arbore ensem viderint, quem Orestes abiens reliquisse dicitur. *(Probus in Bucolica Virgilii, non longe a principio.)*

M. Cato tertio libro Originum eum ventum Cercium dicit, non Circium. Nam cum de Hispanis Alpinis scriberet, qui citra Hiberum colunt, verba haec posuit: Sunt in his regionibus ferrariae, argenti fodinae pulcherrimae, mons ex sale mero magnus; quantum demas, tantum accrescit. Ventus Cercius cum loquare, buccam implet, armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. *(Gellius II, 22 extr. Appuleius de mundo I.)*

LIB. IV.

Verba Catonis ex Originum quarto haec sunt: Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstiterit. *(Gell. II, 28 extr.)*

Cato tamen os protulit in quarto Originum: Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. *(Prisc. VI p. 710 ed. Putsch. coll. Gell. XX, 1.)*

Cato libro quarto Originum: Mapalia vocantur

ubi habitant, ea quasi cohortes rotundae sunt. *(Festus: Mapalia. Servius ad Aen. I v.* 421 *refert*: Cato Originum primo: Magalia aedificia quasi cohortes rotundas dicunt.)

Cato in quarto Originum: Deinde duodevicesimo anno post dimissum bellum, quod quattuor et viginti annos fuit, Carthaginienses sextum de foedere decedere. *(Nonius: duodevicesimo, pro duo et vicesimo.)*

In M. autem Catonis quarta Origine ita perscriptum est: Carthaginienses sextum de foedere decessere. *(Gellius X,* 1 *§* 10.*)*

Item M. Cato in quarto Originum eodem in loco ter hoc verbum posuit: Cumpluriens eorum milites mercenarii inter sese multi alteri alteros in castris occidere; compluriens multi simul ad hostes transfugere; compluriens in imperatorem impetum fecere. *(Gell. V,* 21 *extr.)*

Idem *(Cato)* Orig. lib. IV: Compluriens eorum milites mercenarii inter se inulti alteri alteros in castris occidere. *(Nonius: compluriens, frequenter.)*

Et historiam autem et verbum hoc sumpsit Coelius ex Origine M. Catonis; in qua ita scriptum est: Igitur dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum; die quinti in capitolium tibi coena cocta erit. *(Gell. X,* 24 *§* 7 *coll. Macrob. I,* 4 *extr.)*

M. Cato in quarto Originum: Deinde dictator iubet postridie magistratum equitum arcessi: Mittam te, si vis, inquit, cum equitibus. Sero est, inquit magister equitum; iam rescivere. *(Gellius II,* 19 *§* 9.*)*

— quod M. Cato aliter dixit. Nam in quarto Originum verba haec sunt: Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei muletam facit. *(Gell. XI,* 1 *§* 6*).*

— aliter M. Catonem in Originum quarto: Proelium factum depugnatumque pro castris. *(Gell. XI, 3 § 2.)*

Cato in IV Orig.: Exules duo lege publica execrati. *(Prisc. VIII p. 792 ed. P.*, execrati passive.*)*

Pulchrum dii boni! facinus Graecarumque facundiarum magniloquentia condignum M. Cato in libris Originum de Q. Caedicio, tribuno militum, scriptum reliquit. Id profecto est ad hanc ferme sententiam: Imperator Poenus in terra Sicilia, bello Carthaginiensi primo, obviam Romano exercitui progreditur; colles locosque idoneos prior occupat. Milites Romani, uti res nata est, in locum insinuant, fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus ad consulem venit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia. Maturum censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire (sic enim M. Cato locum editum asperumque appellat) iubeas, eamque uti occupent, imperes horterisque; hostes profecto ubi id viderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praevertentur, unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur. Tu interea, occupatis in ea caede hostibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. Alia nisi haec salutis via nulla est, consul tribuno respondit, consilium quidem istud aeque providens sibi viderier; sed istos, inquit, milites CCCC ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit, qui ducat? Si alium, inquit tribunus, neminem reperis, me licet ad hoc periculum utare; ego hanc tibi et rei publicae animam do. Consul tribuno gratias laudesque agit. Tribunus et CCCC ad moriendum proficiscuntur. Hostes eorum audaciam demiran-

tur; quorsum ire pergant in expectando sunt. Sed ubi apparuit, ad eandem verrucam occupandam iter intendere; mittit adversum illos Imperator Carthaginiensis, peditatum equitatumque quos in exercitu viros habuit strenuissimos. Romani milites circumveniuntur; circumventi repugnant. Fit proelium diu anceps. Tandem superat multitudo. CCCC omnes cum uno perfossi gladiis aut missilibus operti cadunt. Consul, interim dum ibi pugnatur, se in locos tutos atque editos subducit. Sed quod illi tribuno duci militum CCCC, divinitus in eo proelio usus venit, non iam nostris, sed ipsius Catonis verbis subiecimus: Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute eius dedere. Nam ita evenit: Cum saucius multifariam ibi factus esset, tum vulnus capiti nullum evenit; cumque inter mortuos defatigatum vulneribus atque, quod sanguen defluxerat, cognovere, eum sustulere, isque convaluit, saepeque post illa operam rei publicae fortem atque strenuam perhibuit; illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum servavit. Sed idem benefactum quo in loco ponas, nimium interest. Leonidas Lacedaemonius laudatur, qui simile apud Thermopylas fecit. Propter eius virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclitissimae decoravere monumentis, signis, statuis, elogiis, historiis, aliisque rebus gratissimum id eius factum habuere. At tribuno militum parva laus pro factis relicta, qui idem fecerat, atque rem publicam servaverat. *(Gellius III, 7 coll. Plin. XXII, 6 Frontin. Strategem. I, 5. Gesta res est, Gellio teste, bello Punico primo, a. u. c. 496 A. Atilio Calatino, Q. Sulpicio Paterculo coss. Vide Claudii fragm. lib. III. Liv. epit. lib. XVII. Nihilominus tamen vulgo ad Originum incerta fragm. refertur.)*

Ver-

Verrucam positum pro loco edito. Cato libris Originum: Censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire iubeas, eamque uti occupent imperes. *(Nonius: verruca. Vulgo ad incert.)*

Meritavere, saepe meruere dicit Cato in Poenorum quarto: Suffetes evocaverunt statim omnes cohortes, omnes etiam, qui stipendia meritaverunt. *(Festus sub Meritavere. Vulgo fragm. ut ex peculiari, non Originum, libro desumptum transscribitur. Cf. Catonis vita extr. pag. 97.)*

Quidam hoc loco volunt tres partes politiae comprehensas, populi, optimatium, regiae potestatis: Cato enim ait, de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem. *(Serv. Aen. IV, 682 ed. Lion. Vulgo ad plane incerta fragm. ref.)*

Calliscerunt, pro occaluerunt. Cato de bello Carthaginiensi: Aures nobis calliscerunt ad iniurias. *(Nonius in Calliscerunt. Vulgo ad fragm. plane incerta.)*

M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit: Homines defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumposuerunt. Ita interfecerunt. *(Gell. III, 14.)* [7])

---

7) Locos ultimos duos Nonii et Gellii facile dixeris spectare ad Catonis orationem de bello Carthaginiensi a. 604 habitam (Plut. Cat. c. 26. Gell. IX, 14. Solin. c. 30). Sed cf. Meyerus in fragm. orat. Rom. p. 56, qui Servii locos duos ad Aen. I, 343 et 738 ex *Poenorum historia* Catoniana, ab Originibus, ut ait, diversa, depromptos arbitratur. Servius autem ad Aen. I, 343: „Quoties poeta aspera invenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat. Nam Sichaeus Sicharbas dictus est: Belus, Didonis pater, Methres. Carthago a cartha, ut lectum est et in historia Poenorum, et in Livio.“ Deinde ad I, 738: „Per transitum Poenorum ducum nomina introduxit. Nam Bitias classis Punicae fuit praefectus;

Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere; quod nunc mihi magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet: neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat. Adversae res se domant, et docent, quid opus sit facto; secundae res laetitia transversum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. — — Atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse, nos ita depugnare, uti depugnatum est: neque regem Persen vicisse. Non Rhodienses modo id noluere, sed multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haud scio an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae caussa id noluerint evenire: sed enim id metuere, si nemo esset homo, quem vereremur, et quicquid luberet, faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent. Libertatis suae caussa in ea

---

ut docet Livius. Iopas vero rex Afrorum, unus de procis Didonis, ut Punica testatur historia.“ Ad priorem locum cf. Serv. ad Aen. IV, 670: „Vel nobilem dicit, vel illud ostendit, quia Carthago ante Byrsa, post Tyros dicta est, post Carthago a Cartha oppido, unde fuit Dido inter Tyron et Berithon.“ Vide annotat. ad vitam Cat. extr. Ne Servii quidem locum ad Aen. IV, 682 satis certo posse ad Origines referri, intelligitur ex Solini c. 30: „Urbem istam ut Cato in oratione senatoria autumat, cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur, Elissa mulier extruxit, domo Phoenix, et Carthadam dixit, quod Phoenicum ore exprimit civitatem novam; mox sermone verso in morem Punicum, et haec Elissa et illa Carthago dicta est.“

sententia fuisse arbitror. Atque Rhodienses tamen Persen publice nunquam adiuvere. Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. Nam unusquisque nostrum, si quis adversus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, ne adversus illam fiat. Quod illi tamen perpessi. — — Ea nunc derepente tanta nos beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? Quod illos dicimus voluisse facere, id nos priores facere occupabimus? — — Qui acerrime adversus eos dicit, ita dicit: hostes voluisse fieri. Et quis est tandem vestrorum, qui, quod ad sese attineat, aequum censeat, quempiam poenas dare ob eam rem, quod arguatur malefacere voluisse? Nemo, opinor. Nam ego, quod ad me attinet, nolim. — — Quid nunc? et quae tandem lex est tam acerba, quae dicat: Si quis illud facere voluerit, mille nummi, dimidium familiae mulcta esto: Si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto: et, si quis maiorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnasesto. Atqui nos omnia plura habere volumus, et id nobis impune est. — — Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod benefacere voluisse quis dicit, neque fecit tamen: Rhodiensibus male erit, non quod male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere? — — Rhodienses superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. Sint sane superbi. Quid id ad nos attinet? Idne irascimini, si quis superbior est, quam nos? *(Gell. VII, 3 coll. Liv. XLV, 25. Appian. Punic. 65. Gell. XIII cap. 24. Ex oratione pro Rhodiensibus, Origg. lib. V inclusa et anno 587 habita. Cf. Meyerus in fragm. orat. Rom. p. 48.)*

— et item *(Cato)* in quinto: Urbes insulasque omnis pro agro Illyrio esse. *(Gell. XI, 3 § 2.)*

Quippe M. Cato in quinto Originum ita scripsit: Postridie signis collatis, aequo fronte, peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnavit. Recto quoque fronte idem Cato eodem in libro dicit. *(Gell. XV cap.* 9 § 5.*)*

M. Cato in quinta Origine: Exercitum, inquit, suum pransum, paratum, cohortatum, eduxit foras atque instruxit. *(Gell. XV,* 13 § 5.*)*

Cato in V Originum: Illi pollicīti, sese facturum omnia. *(Prisc. IX p.* 864 *ed. P. coll. Gell. I,* 7.*)*

Cato in V Originum: Quod eorum nemo quisquam quidquam mihi ignoturus est. *(Prisc. X p.* 886.*)*

Cato Orig. lib. V: Origine fluvium Naronem magnum, pulchrum, pisculentum. *(Non. pisculentum.)*

Cato Originum libro quinto: Sed protelo trini boves unum aratrum ducent. *(Nonius: Protelare est adiugare.)*

Pilates lapidis genus, cuius M. Cato Originum libro quinto: Lapis candidior quam pilates. *(Festus s. v. Pilates.)*

Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum, multos caesos ait; numerum non adscribit. *(Liv. lib.* 34 *c.* 15 *extr. Fragm. vulgo omissum ad quintum sextumve librum referri potest, cum res incidat in a. u. c.* 557 *inter secundum et tertium bellum Punicum.)*

LIB. VI.

— quod est scriptum a M. Catone in sexta Origine: Itaque ego, inquit, cognobiliorem cognitionem esse arbitror. *(Gell. XX,* 5 *extr.)*

LIB. VII.

Mulleos genus calceorum dicunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii usi sunt. M.

Cato Originum libro septimo: Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos allucinatos, ceteri perones. *(Festus: Mulleos.)*

Cato Originum libro septimo: Mulieres opertas auro, purpuraque: arsinea, rete, diadema, coronas aureas, russeas fascias, galbeos, lineas, pelles, redimicula. *(Festus: Ruscum.)*

Cato in Originibus: Mulieres, inquit, nostrae capillum cinere inungitabant, ut rutilus esset crinis. *(Charis. I pag.* 78 *Putsch. Vulgo ad incerta fr.)*

In Catone legitur de matronarum crinibus: Flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent. *(Serv. ad Aen. IV,* 698. *Vulgo ad incerta fr. Sed vide Festi locum in Ruscum.)*

Et *(Cato)* lib. VII: Fluvium Iberum. Is oritur ex Catinatis magnus atque pulcher, pisculentus. *(Nonius: Pisculentum.)*

— quamvis Cato Originum septimo genitivo casu dixerit: Iurum legumque cultores. *(Charis. I pag.* 72 *ed. Putsch, idem p.* 109.*)*

Cato ex Originum septimo in oratione, quam contra Ser. Galbam dixit, compluribus vocabulis super eadem re usus est: Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus; verum enim vero cum tantam rem peragier arbitrarer. *(Gell. XIII,* 24 *§* 15. *Liv. epit.* 49.*)*

M. Cato de Lusitanis, cum Ser. Galbam accusavit: Tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo ius pontificium optime scire. Iamne ea caussa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat? *(Gell. I,* 12 *§* 17 *cf. Liv. epit. lib.* 49.*)*

Servium quidem Galbam miseratione sola, qua

non suos modo liberos parvulos in concionem deduxerat, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. *(Quintil. II,* 15 § 8. *Cic. de orat. I,* 53.*)*

Ἐν τῇ (τῇ τελευταίᾳ δίκῃ) τὸ μνημονευόμενον εἶπεν· ὡς χαλεπόν ἐστιν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα ἀνθρώποις, ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι. *(Plutarch. Cat. c.* 15. *Vulgo ad plane incerta fragm. refertur.)* [8])

Secordiam quidam pro ignavia posuerunt. M. Cato pro stultitia posuit Originum libro septimo, cum ait.... *(Festus in Secordiam. Locus mutilus est.)*

---

8) Pertinet Plutarchi fragmentum ad septimum Originum librum: cf. Cic. Brut. c. 23. Gell. XIII, 24 § 15. Habita est oratio pro Lusitanis, anno quo Cato e vita excessit: cf. Meyerus in fragm. orat. Rom. pag. 59. Ab hac orat. seiungenda sunt fragm. Charisii lib. II pag. 198 ed. Putsch. et Pseudo-Asconii ad Cic. divinat. in Caecilium cap. 20. Charisius ita: *Utrinde. Cato pro Lusitanis Hispanis: De frumento utrobi bona, utrobi mala gratia capiatur, utrinde iram, utrinde factiones tibi pares.* Asconius: *Cato accusavit Ser. Galbam pro direptis Lusitanis, et P. Furium pro iisdem pro iniquissima aestimatione frumenti.* Haec quidem oratio in P. Furium Philum pro Lusitanis Hispanis habita est anno 583: Liv. lib. 43 cap. 2. Cf. Meyerus l. l. pag. 45. Superest Gell. I, 23: *Historia de Papirio Praetextato dicta scriptaque est a M. Catone in oratione, qua usus est ad milites contra Galbam cum multa quidem venustate atque luce atque munditia verborum* sqq. Lion in Catonianis pag. 29 hunc locum ad septimum Originum librum rettulit, procul dubio Catonis orationem contra Ser. Galbam de Lusitanis intelligens, a qua rectius fragm. seiunxit Meyerus pag. 59.

EX LIBRIS ORIGINUM INCERTIS.

Virgilius: urbem designat aratro: quem Cato in Originibus dicit morem fuisse. Conditores enim civitatis taurum in dextram, vaccam intrinsecus iungebant et incincti ritu Sabino, id est togae parte caput velati, parte succincti tenebant stivam incurvam, ut glebae omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca murorum designabant, aratrum suspendentes circa loca portarum. *(Servius Aen. V,* 755.*)*

Cato: Qui urbem, inquit, novam condet, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat; ubi portam vult esse, aratrum sustollat et portet, et portam vocet. *(Isidorus XV,* 2, 3.*)*

Marcus Cato in Originibus: Eodem convenae complures ex agro accessitavere; eo res eorum auxit. *(Gellius XVIII,* 12 *§* 7. *Fortasse ex libro primo.)*

Cato in Originibus ait: Si ques sint populi. Et declinavit: ques, quium, ut puppes puppium. *(Servius ad Aen. I vers.* 95. *Cf. Orig. I init.)*

Cato in Originibus: an terminum, id est: circum terminum. *(Macrob. I cap.* 14.*)*

Cato Originum libris; Ne praedia in lubricum dirigerentur, cum tributus exigeretur. *(Nonius in Tributus.)*

De quarum velocitate in Originum libro Cato scribit haec: In Sauracti, Fiscello, caprae ferae sunt, quae saliunt e saxo pedes plus sexagenos. *(Varro de re rust. II,* 3 *§* 3.*)*

Cato in Originibus: Alae ex lupino lugium.... *(Servius ad Georg. I vers.* 75.*)*

Cato in Originibus ita est locutus. Quidam enim hic gliris putant dici. *(Charis. lib. I pag.* 106 *et I p.* 69 *et* 99 *ed. Putsch.* glis.*)*

Biber. Cato quoque Originum. *(Pro: bibere. Charis. I pag. 99 ed. Putsch.)*

Sed M. Cato quantum differt! qui dicat, Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam: stetisse autem Capuam antequam a Romanis caperetur, annis circiter CCLX. *(Velleius I cap. 7 extr.)* [1]

— de quo *(Polite)* Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit, et segregatus ab Aenea condiderit oppidum Politorium a suo nomine. *(Serv. ad Aen. V, 564.)*

Falisca Argis orta, ut auctor est Cato. *(Plinius III, 5.)*

Praeterea interisse Thebas Lucanas Cato auctor est. *(Plin. III, 11 init.)*

Ameriam suprascriptam Cato ante Persei bellum conditam, annis DCCCCLXIV prodidit. *(Plin. III, 14 extr.)*

In hoc tractu interierunt Boii, quorum tribus CXII fuisse auctor est Cato. *(Plin. III, 15 extr.)*

Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodieque pago, non (ut Cato existimat) Ligurum. *(Plin. III, 17.)* [2]

---

1) Ex Prisciani loco VI pag. 716: *Cato in primo Originum: Antemna veterior est, quam Roma*, et Servio ad Aen. X, 179: *Cato Originum primo: Qui Pisas tenuerint ante adventum Etruscorum negat sibi compertum* sqq.: facile possis conjicere hunc quoque locum, ceterosque, qui modo sequuntur, ad primum librum pertinere. Sed nisi forte Prisciani Serviique verba ad secundum potius librum spectant, praestat in re incerta eiusmodi locos Nepote auctore ad secundum et tertium librum referre. Ceterum si quid in ordinandis fragmentis peccaverim, aequos iudices admonitos velim, ut cogitent, quantam haec res in Originibus difficultatem habeat.

2) De Liguribus dixit in Origine secunda; sed dubito an cautius locus inter incerta fragmenta ponendus sit.

In hoc situ interlit oppidum Orobiorum Barra, unde Bergomates Cato dixit ortos. *(Plin. III c.* 17.*)*

Orobiorum stirpis esse Comum atque Bergomum et Licini forum et aliquot circa populos auctor est Cato: sed originem gentis ignorare se fatetur. *(Plin. III c.* 17.*)*

Venetos Troiana stirpe ortos, auctor est Cato: Cenomannos iuxta Massiliam habitasse in Volscis. *(Plin. III,* 19.*)*

Latini iuris Euganeae gentes, quarum oppida XXXIV enumerat Cato. Ex iis Triumpilini venalis cum agris suis populus. Deinde Camuni complures-que similes finitimis attributi municipiis: Lepontios et Salassos, Tauriscae gentis idem Cato arbitratur. *(Plin. III,* 20.*)*

Intempestas ergo Graviscas accipiamus pestilentes, et secundum Plinium in Naturali Historia et Catonem in Originibus, ut intempestas intelligas sine temperie, id est tranquillitate. Nam ut ait Cato: Ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aerem sustinent. *(Serv. Aen. X,* 184.*)*

— quae *(Alpes)* secundum Catonem et Livium muri vice tuebantur Italiam. *(Serv. Aen. X,* 13.*)*

Larius lacus est vicinus Alpibus, qui iuxta Catonem in Originibus, per sexaginta tenditur milia. *(Serv. Georg. II vers.* 159.*)*

— ait Cato, a Philoctete, condita iam pridem civitate, murum tantum factum. *(Serv. Aen. III,* 402.*)*

Cato pluraliter: haec Drepana dicit. *(Serv. Aen. III,* 707.*)*

Cato in Originibus ita ait: Lavius boves immolatus priusquam caederentur, profugisse in Siciliam. *(Serv. Aen. X,* 541.*)*

Cato dicit: Quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit. *(Serv. Aen. VII,* 682.*)*

Hos *(Capenos)* dicit Cato Veientum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat. *(Serv. Aen. VII,* 697.*)*

Catonem sequitur, qui Albonem montem ab Alba longa putat dictum. *(Serv. Aen. XII,* 134.*)*

Graecorum clypei rotundi, ut Cato Originum ait. *(Serv. Aen. III,* 637.*)*

Certe Cato, cum imperatorum nomina annalibus detraxerit, eum *(elephantum)*, qui fortissime proeliatus esset in Punica acie, Sutrum tradidit vocatum, altero dente mutilato. *(Plin. VIII,* 5.*)*

Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores huno epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. *(Cicero in Tuscul. IV,* 2.*)*

Quanquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus *sqq. (Cic. Tusc. I,* 2.*)*

— sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum saepe locum profectas alacri animo et erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur. *(Cic. in Catone cap.* 20 *sub fin.)*

Sed quid duces et principes nominem, cum legiones scribat Cato saepe alacres in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur. *(Cic. Tusc. I,* 42 *§* 101.*)*

Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane et deserta sunt. *(Cic. de divinat. I,* 15 *extr.)*

Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio trahere eos *(Sabinos)* originem referunt: — — Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum idem Cato dicit. *(Serv. Aen. VIII v.* 638.*)*

Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα, τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου. Τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. Πρώτην δ' αὐτῶν οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίνα, ἄγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντας τότε τοὺς Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων ἅμα κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κότυνας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. Ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας ἄλλας τε πόλεις κτίσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστους, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κυρεῖς· χώραν δὲ κατασχεῖν τῆς μὲν Ἀδριανῆς θαλάττης ἀπέχουσαν ἀμφὶ τοὺς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίους σταδίους, τῆς δὲ Τυρρηνικῆς τετταράκοντα πρὸς διακοσίοις· μῆκος δὲ αὐτῇ εἶναί φησιν ὀλίγῳ μεῖον χιλίων σταδίων. *(Dionysius lib. II cap. 49 p. 112.)*

Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex haruspicem cum videret. *(Cic. de divinat. II, 24 § 51.)*

Is *(Cato senex)* dicere solebat, ob hanc caussam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, quorum suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis suis, ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Lycurgus, Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii, postremo exanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius; nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam neque ullum ingenium tantum extitisse dicebat, ut quem res ulla fugeret quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut

omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate. Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi originem; libenter enim etiam verbo utor Catonis. *(Cic. de rep. II, 1. Cf. locum Servii ad Aen. IV,* 682 *in fragm. Orig. IV extr.)*

Nunc sit illud Catonis certius, nec temporis unius, nec hominis esse constitutionem rei publicae. *(Cic. de rep. II,* 21.*)*

Nam, ut ait Cato: et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui. *(Serv. Aen. I,* 726.*)* [3])

M. Cato in Originibus: Dotes filiabus suis non dant. *(Prisc. VII pag.* 733.*)*

Cato ait, deposita veste purpurea, feminas usas caerulea cum lugerent. *(Serv. Aen. III,* 64. *Cf. Festus in Ruscum, fragm. lib. VII pag.* 117.*)*

Διὰ τί τοὺς παραγγέλλοντας ἄρχειν ἔθος ἦν ἐν ἱματίῳ τοῦτο ποιεῖν, ἀχίτωνας, ὡς Κάτων ἱστόρηκε; *(Plutarch. Quaest. Rom.* 49.*)*

Πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις ὄγκον περιτέθεικε, καί φησι τοῖς ἰδοῦσιν αὐτὸν τότε διώκοντα καὶ ποιοῦντα τοὺς πολεμίους, παραστῆναι, μηδὲν ὀφείλειν Κάτωνα τῷ δήμῳ τοσοῦτον, ὅσον Κάτωνι τὸν δῆμον· αὐτόν τε Μάνιον *(Acilium)* τὸν ὕπατον, θερμὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔτι θερμῷ περιπλακέντα, πολὺν χρόνον ἀσπάζεσθαι, καὶ βοᾶν ὑπὸ χαρᾶς, ὡς οὔτ' ἂν αὐτὸς, οὔθ' ὁ σύμπας δῆμος

3) Hoc fragm. cum iis, quae sequuntur, vulgo referuntur ad plane incerta; sed eodem vel potius maiore iure plane incerta habenda erant Cic. de divin. I, 15; II, 24, ut taceam de ceteris. Possunt enim facile loci ex Cic. lib. de div. aliunde quo desumpti esse. Fortasse etiam ad Origines spectat Gell. IV, 12 § 1, (apud Lion. in Caton. p. 90) aliique loci, de quibus dictu difficilius fuerit.

ἐξισώσειε τὰς ἀμοιβὰς ταῖς Κάτωνος εὐεργεσίαις. (Plutarch. in Cat. cap. 14 pag. 344 ed. Francof.) [4])

M. FULVIUS NOBILIOR.

Appelletur hoc loco, cuius iam in Catone mentionem inieci, M. Fulvius Nobilior, ut Cincius homo de plebe, non historicus ille quidem, sed tamen, cum de historia meritus sit, dignus admodum, qui hoc loco recenseatur. Fuit autem aequalis Catonis censorii, praetor a. u. c. 561 in Hispania ulteriore; a. 565 consulatum gessit cum Cn. Manlio Vulsone (vide Liv. lib. 38 cap. 47), censuram cum M. Aemilio Lepido tenuit a. 575 (Liv. 40 c. 51). Consul contra Aetolos missus, secum Ennium poetam in Aetoliam duxit, quod ut probrum ei obiecit Cato (Cic. Tusc. lib. I cap. 2); in Epiro Ambracienses obsessos in deditio-

4) Si est fragm. ex Originibus, ut mihi videtur, referre possis ad sextum septimumve librum. Loquitur autem de rebus gestis contra Antiochum in Graecia. Manius Acilius fuit cos. suff. a. u. c. 600. Denique fragmenta, quae nullo modo constat unde desumpta sint, noluimus adiicere. — Post Catonem censorium a Vossio in libro de historicis Latinis recensetur Munatius Rufus. At vero Valerius Maximus, quem Vossius auctorem exhibet, postquam de abstinentia Catonis Uticensis, pecuniam e Cypro insula Romam deportantis, locutus est, in lib. IV cap. 3 § 2 subiicit ista: „Atque id Munatius Rufus, Cypriacae expeditionis fidus comes, scriptis suis significat.“ Intellexit igitur Vossius perperam censorium Catonem pro Uticensi, de quo Valerius egit, cuiusque vitam Plutarcho teste Munatius descripsit. Plutarchus enim in Catone Minore pag. 777 ed. Franc. B: καὶ γὰρ αὐτὸς (*Munatius Rufus*) συγγραμμα περὶ Κάτωνος ἐξέδωκεν, ᾧ μάλιστα Θρασέας ἐκηκολούθησεν.

nem accepit, Cephalleniam subegit, Aetolisque perdomitis pacem dedit (Livius XXXVIII, 1 — 12 et, quem ille secutus est, Polybius XXII, 8 sqq.). Floruit autem in Nobiliorum familia litterarum studium, quemadmodum plures familiae diu certis quibusdam studiis excelluerunt. Cicero in Brut. cap. 20 § 79: „Q. Nobiliorem, M. F. iam patrio instituto deditum studio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donavit, cum triumvir coloniam duxisset — non indisertum dicunt fuisse.“ Fasti M. Fulvii circiter annum 565 una cum Calendario (Macrob. Sat. I, 12. Varro de L. L. V pag. 50) in aede Herculis Musarum positi sunt. Macrobius loco citato: „Fulvius Nobilior in fastis, quos in aede Herculis Musarum posuit, Romulum dicit, postquam populum in maiores iunioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis rem publicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Maium, sequentem Iunium vocasse.“ Idem lib. I cap. 13 extr.: „Fulvius autem id egisse Manlium (*vulgo:* Manium) consulem dicit ab urbe condita anno quingentesimo sexagesimo secundo, inito mox bello Aetolico. Sed hunc arguit Varro“ sqq. Ad fastos procul dubio hi quoque loci pertinent: Varro de L. L. VI § 60 ed. Spengel: „Secundus *(Aprilis mensis)* ut Fulvius scribit et Iunius a Venere, quod ea sit Ἀφροδίτη.“ Censorinus d. d. n. cap. 20: „Postea, sive a Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Iunius, a Tarquinio duodecim facti sunt menses et dies CCCLV.“ Censorin. c. 22: „Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse, Fulvius et Iunius auctores sunt: et quidem duos primos a parentibus suis nominasse, Martium a Marte patre, Aprilem ab Aphrodite, id est Venere: unde maiores eius oriundi dicebantur: proximos duos a po-

pulo, Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus; ceteros ab ordine, quo singuli erant: Quintilem usque ad Decembrem perinde a numero.“ Denique Coelius historicus Fulvii ita meminit apud Charisium lib. I pag. 112 ed. Putsch: „Publicatos quippe fastos omnes, et libros a Fulvio Nobiliori scripta rettulisse.“ Sed hoc loco cum Vossio legendum videtur *scriptos*, non *scripta*.

C. IULIUS.

Nomine tenus notus est C. Iulius, de quo unus hic locus extat in epit. Liv. lib. 53: „C. Iulius senator Graece res Romanas scribit.“ Scripsit igitur a. u. c. 611, Ap. Claudio Pulchro, Q. Caecilio Metello consulibus. Alius est C. Iulius, L. F., orator, cuius meminit Cicero in Brut. cap. 48. 60. 63.

A. POSTUMIUS ALBINUS.

Historicorum, qui nunc nobis recensendi sunt, primus a Cicerone in Bruto inter oratores nominatur Aulus Albinus. Vivo Catone censorio sed minor natu floruit, fuitque homo litteratus et disertus, censor cum Q. Fulvio Q. F. Flacco a. u. c. 580 (Liv. 41 c. 27. 42 c. 10. 43 c. 16), consul denique cum L. Licinio Lucullo anno 603, quod Cicero in Brut. c. 21 init., Gellius in N. A. XI cap. 8, et Macrobius in Saturnaliorum praefatione iisdem paene verbis referunt. Iidem cum Plutarcho in Catone auctores sunt, Graece eum historiam scripsisse, de qua tamen nihil

praeterea constat. Polybius laudat eius ποίημα et πραγματικὴν ἱστορίαν ita scribens lib. XL cap. 6. (pag. 715 ed. Schweigh. coll. Plut. in Cat. pag. 343 B): Αὖλος Ποστούμιος ἄξιος γέγονεν ἐπισημασίας ἀπ' ἐντεῦθεν. Οἰκίας μὲν γὰρ ἦν καὶ γένους πρώτου, κατὰ δὲ τὴν ἰδίαν φύσιν στωμύλος καὶ λάλος, καὶ πέρπερος διαφερόντως. Ἐπιθυμήσας δὲ εὐθέως ἐκ παίδων τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς καὶ διαλέκτου, πολὺς μὲν ἦν ἐν τούτοις καὶ κατακορής· ὥστε δι' ἐκεῖνον καὶ τὴν αἵρεσιν τὴν Ἑλληνικὴν προσκόψαι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς ἀξιολογωτάτοις τῶν Ῥωμαίων. Τέλος δὲ καὶ ποίημα γράφειν καὶ πραγματικὴν ἱστορίαν ἐνεχείρησεν, ἐν ᾗ διὰ τοῦ προοιμίου παρεκάλει τοὺς ἐντυγχάνοντας, συγγνώμην ἔχειν, ἐὰν Ῥωμαῖος ὢν μὴ δύναται κατακρατεῖν τῆς Ἑλληνικῆς διαλέκτου, καὶ τῆς κατὰ τὸν χειρισμὸν οἰκονομίας. Πρὸς ὃν οἰκείως ἀπηντηκέναι δοκεῖ Μάρκος Πόρκιος Κάτων· θαυμάζειν γὰρ ἔφη, πρός τίνα λόγον ποιεῖται τοιαύτην παραίτησιν. εἰ μὲν γὰρ αὐτῷ τὸ τῶν Ἀμφικτυόνων συνέδριον συνέστατε γράφειν ἱστορίαν, ἴσως ἔδει προφέρεσθαι ταῦτα καὶ παραιτεῖσθαι. μηδεμιᾶς δ' ἀνάγκης οὔσης, ἐθελοντὴν ἀπογράψασθαι, κἄπειτα παραιτεῖσθαι, συγγνώμην ἔχειν, ἐὰν βαρβαρίζῃ, τῆς ἀπάσης ἀσοπίας εἶναι σημεῖον· καὶ παραπλήσιον, ὡς ἂν εἴ τις, εἰς τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας ἀπογραψάμενος πυγμὴν ἢ παγκράτιον, παρελθὼν εἰς τὸ στάδιον, ὅτε δέοι μάχεσθαι, παραιτοῖτο τοὺς θεωμένους, συγγνώμην ἔχειν, ἐὰν μὴ δύνηται μήτε τὸν πόνον ὑπομένειν, μήτε τὰς πληγάς. Δῆλον γάρ, ὡς εἰκὸς γέλωτα τὸν τοιοῦτον ὄφλειν, καὶ τὴν δίκην ἐκ χειρὸς λαμβάνειν. ὅπερ ἔδει καὶ τοὺς τοιούτους ἱστοριογράφους, ἵνα μὴ κατεπόλμων τοῦ καλῶς ἔχοντος. Παραπλησίως δὲ καὶ κατὰ τὸν λοιπὸν βίον ἐζηλώκει τὰ χείριστα τῶν Ἑλληνικῶν. καὶ γὰρ φιλήδονος ἦν καὶ φυγόπονος. Τοῦτο δ' ἔσται δῆλον ἐξ αὐτῶν τῶν ἐνεστώτων. ὃς πρῶτος παρὼν ἐν τοῖς κατὰ τὴν Ἑλλάδα τόποις, καθ' ὃν καιρὸν συνέβαινε γίγνε-

γίγνεσθαι τὴν ἐν Φωκίδι μάχην, σκηψάμενος ἀσθένειαν εἰς Θήβας ἀνεχώρησε, χάριν τοῦ μὴ μετασχεῖν τοῦ κινδύνου· συντελεσθείσης δὲ τῆς μάχης, πρῶτος ἔγραψε τῇ συγκλήτῳ περὶ τοῦ κατορθώματος, προδιασαφῶν τὰ κατὰ μέρος, ὡς μετεσχηκὼς αὐτὸς τῶν ἀγώνων. Gellius in N. A. XI, 8 ex libro Cornelii Nepotis de illustribus viris ita haec rettulit: „Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Graeca scriptitavit. In eius historiae principio scriptum est ad hanc sententiam: Neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum composite aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio. Graeca oratio a nobis alienissima est; ideoque veniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Eam cum legisset M. Cato: Nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus, aut cum compulsi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod, priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur?“ Iisdem paene verbis, ut solet, rem narravit Macrobius in Saturnaliorum praefatione: cf. etiam Suidas s. v. Ποστ., qui tamen nihil habet de eius scriptis. Sed ut ad ipsam Albini historiam revertar, quod Macrobius lib. II cap. 16 ex Postumii Albini annali primo Latine scripto aliqua de Bruto ad verbum affert: videtur haec Latino sermone confecta historia ad alium quendam Albinum referenda esse. Nam cum Cicero, Gellius, Macrobius, Plutarchus accurate animadvertant, Graece nostrum scripsisse historiam, eumque Plutarcho excepto addant etiam, consulem cum L. Lucullo fuisse: nihil sane videtur probabilius, quam voluisse eos Albinum illum ab alio eiusdem nominis, qui Lu-

tine annales scripserat, distinguere. Pari modo, qui L. Calpurnium Pisonem, cognominatum Frugi, auctorem exhibent, ut ab altero Pisone discernant, appellant etiam censorium. Neque ego adduci possum, ut aut cogitem de translatione Latina, aut assentiar Vossio de histor. Latin. lib. I cap. 6, nostrum Albinum et Graecam historiam et annales Latinos reliquisse statuenti: utriusque enim rei satis diserta testimonia desidero, neque Albini praenomen Macrobius addidit. Deinde Auli Postumii liber de adventu Aeneae citatur a Servio et auctore libelli de origine gentis Romanae. Sed cum veteres in laudandis librorum indicibus minus accurati esse soleant, ambiguum esse arbitror, num nostri scriptoris Graeca historia significetur, an alius homo intelligendus sit. Illud denique recte vidit Vossius de histor. Graecis lib. I cap. 20, non nostro tribuendos versus esse, quos lib. VII Priscianus (pag. 741 ed. Putsch.) affert ex Albini lib. I rerum Romanarum:

„Ille cui ternis capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus, non tutae moenibus urbes.“

Nimirum triplex Pompeii triumphus designatur, ex tribus orbis partibus reportatus, unus ex Africa de Hiarba; alter ex Hispania de Sertorio; tertius ex Asia de Mithridate ac piratis. Cf. Putschii annotationem in indice, et Marium Victorinum pag. 1959.

A. POSTUMII ALBINI GRAECA HISTORIA.

Cf. Cic. in Brut. cap. 21. Plutarch. in Catone cap. 1. 2. pag. 343 B. ed. Franc. Gell. XI, 8. Ma-

crob. Sat. praefat. Polyb. XL c. 6 vol. IV pag. 715 ed. Schweigh.

AULI POSTUMII
LIBER DE ADVENTU AENEAE.

Itaque vino ex omni vindemia Iovi publice voto consecratoque, Latini urbe eruperunt, fusoque praesidio, interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coegerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit, ut docet Iulius Caesar lib. I itemque Aulus Postumius in eo volumine, quod de adventu Aeneae conscripsit atque edidit. *(Auctor de orig. gent. Rom. cap. 15.)*

Postumius de adventu Aeneae et Lutatius communium historiarum, Boiam Euximi comitis Aeneae nutricem et ab eius nomine Baias vocatas dicunt. *(Serv. Aen. IX, 710.)* [1])

POSTUMII ALBINI
ANNALIUM LIBER PRIMUS.

Postumius Albinus annali primo de Bruto: Ea caussa sese stultum brutumque faciebat; grossulos ex melle edebat. *(Macrob. Sat. lib. II c. 16.)*

1) A. Festo ed. Dacier. pag. 218 laudatur *Alfius libro primo belli Carthaginiensis.* Non dico ad Albinum locum referendum esse, sed moneo tantum omissum Alfium a Vossio ceterisque omnibus.

SER. FABIUS PICTOR.

Paulo post Aulum Albinum a Cicerone (in Brut. cap. 21 princ.) inter oratores recensetur Servius Fabius Pictor, diciturque iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus. Praenomen exhibet codex Palat. *Servis*, Cuiac. *Serius*, Guelf. primus *Seunis;* Guilelmus maluit *Sextus,* alii *Servilianus* aut *Quintus.* Sed licet Servii praenomen in Fabia gente insolens sit, tamen, quae est etiam Vossii aliorumque sententia, cum nimis pauci ex Pictorum familia noti sint, nihil in hac re videtur mutandum esse. Servium nostrum Fabium Pictorem, ut de Q. Fabio locutus dixi, cum Vossio puto Q. F. Q. N., ut sit filius Q. Fabii flaminis Quirinalis, de quo Livius lib. XXXVII cap. 50 et lib. XLV cap. 44. Pater Q. Fabius Pictor, si vera est ratio ista, flamen Quirinalis mortuus est anno u. c. 587 (ante Chr. 167) et Servius filius quaestor fuit anno 598, praetor a. 608, quo diruta est Carthago. Cum Quintus Fabius Pictor mea quidem sententia Graece tantum, non Latine annales scripserit, Nonii locus in *Picumnus* videtur ad Servium Fabium Pictorem, a Cicerone in Bruto nominatum, referendus esse. Ita autem habet Nonius: „Fabius Pictor rerum gestarum libro primo: Et simul videbant picum Martium. Idem libro iuris pontificii tertio: Pilumno et Picumno.“ Hoc potissimum loco nitens, ad eundem hunc Servium Fabium pertinere arbitror locos Ciceronis de orat. II, 12 § 51 et 53, ubi bis Pictor, qui dicitur, post Catonem, sed ante Pisonem nominatur; deinde Cic. de legg. I, 2, ubi Fabium, quem Tullius vocat, ante Catonem commemoratum videbis, ut aequalem Catonis censorii significari appareat.

Ita Fannius in Cic. de legg. I, 2 profertur post Pisonem; in Cic. Bruto Piso (cap. 27) post Fannium (cap. 26) et Antipatrum (c. 26 extr.); qui quidem Antipater, Fannii aetati coniunctus appellatus de legg. lib. I cap. 2 iterum post Pisonem allatus est. Sed ut hoc loco rem brevi absolvam, quam in vitis Quinti Fabii Luciique Cincii explicatius edisserui, Servii Fabii annales praeter Nonium et Ciceronem intelligunt Quintilianus et Gellius, qui librorum inscriptionem rectius videtur, quam Nonius, exhibere. Etsi Gellii locus lib. V cap. 4, cum Fabius tantum auctor nominetur, facile possit alicui ad Q. Fabii Maximi annales referendus videri; sed tamen nihil ille ex Fabii Maximi libris servavit. Deinde eidem scriptori, Nonio teste, tribuendi sunt libri de iure pontificio, procul dubio laudati etiam a Nonio in *Polubrum*, a Gellio I, 12 et X. 15, a Macrobio III, 2; certe illud est extra dubitationem omnem positum, Catonis demum censorii aetate antiquitatum studia tractari coepta esse. Etiam Q. Fabius Maximus Servilianus et annales fecit et libros de iure pontificio. Ad libros Servii de iure pontificio spectat fortasse locus Nonii in *Sal*, et quod Servius habet ad Georg. I v. 21: contra ad annales rettulerim verba Festi in *Puilia*. Quanquam egent haec satis idoneis argumentis atque indiciis, neque certum est etiam, num aliqua, quae post Q. Fabii fragmenta transscripsi, neminique Fabiorum diserte vindicavi, ad hunc nostrum pertinere videantur. Sed ut addam pauca quaedam de Servii annalibus, quae Gellius V, 4 ex Fabii libro quarto laudat, Livius narravit lib. VI cap. 42. Deinde de auctoritate eius etsi propter fragmentorum paucitatem uberius dici non potest, videtur tamen religiosus scriptor fuisse, siquidem Cicerone teste (Brut. 21) iuris

et litterarum et antiquitatis bene peritus fuit, et ab eodem de orat. II, 12 una cum optimis annalium confectoribus nominatur, Catone ac Pisone. Tum auctore eo fortasse usus est Varro in hum. rer. lib. XVI, si apud Gellium et Nonium verae lectiones sunt: cf. annal. fragm. incert. Dicendi vero genus reprehendit Cic. de orat. l. l. et de legg. I, 2, ut in ipso Catone, Pisone aliisque annalium confectoribus, quorum omnium libri nudi erant, omni ornatu orationis tanquam veste detracta. Denique quod a Gellio V, 4 bonae atque sincerae vetustatis libri appellantur, fortasse non solum ad orationem, sed etiam ad fidem referre possis.

ANNALIUM

LIB. I.

Fabius Pictor rerum gestarum libro primo: Et simul videbant picum Martium. *(Nonius in Picumnus. Frotscherus in repetit. edit. Sallustii tom. I pag.* 363, *secutus Cortium et Havercampium, cuncta Fabiorum fragmenta, etiam Livii et Dionysii disertissimos locos rettulit ad Numerium Fabium Pictorem, inque Nonii loco supra descripto deteriorum codicum dedit scripturam:* rerum naturalium. *Cf. adnotat. Merceri.)*

LIB. IV.

— ibi expositi erant Fabii annales, bonae atque sincerae vetustatis libri, quos venditor sine mendis esse contendebat. — — Ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto: Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duo et vicesimo anno

postquam Romam Galli ceperunt. *(Gellius N. A. lib. V cap. 4 § 3. A. U. C. 387. Liv, VI, 42.)*

INCERTA
EX QUIBUS ANNALIUM LIBRIS.

Lupus masculinum, quanquam Varro in eo libro, quo initia urbis Romae enarrat, Lupum feminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus. *(Quintilianus instit. orati. lib. I cap. 6 § 12. Cf. Ennii fragm. ed. Hessel. annal. lib. I pag. 14. Spectat opinor ad Fabii lib. I.)*

— hic ita scripsit: Mortuus est anno duo et vicesimo: Rex fuit annos viginti et unum. *(Gellius V cap. 4 extr. cf. Cat. Orig. IV p. 110. Eadem verba ex Varronis humanarum rerum lib. XVI laudat Nonius s. v. duodevicesimo, pro: duo et vicesimo.)*

Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana via Ostiensi ad lapidem undecimum. *(Festus in Puilia.)*

Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. *(Cicero de divinat. I cap. 26 init. Cf. fragm. Coelii.)*

DE IURE PONTIFICIO
LIB. I.

In libro primo Fabii Pictoris, quae verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capit, scriptum est. Ea verba haec sunt: SACERDOTEM. VE

STALEM. QUAE. SACRA. FACIAT. QUAE. IOUS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPULO. ROMANO. QUIRITIUM. UTEI. QUAE. OPTUMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. *(Gellius lib. I cap.* 12 § 14.*)*

Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus; unde haec ferme sunt, quae commeminimus: Equo Dialem flaminem vehi religio est, classem procinctam extra pomoerium, id est, exercitum armatum, videre: idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur: item iurare Dialem fas numquam est: item annulo uti nisi pervio cassoque fas non est: ignem e flaminia, id est flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri ius non est: vinctum si aedes eius introierit, solvi necessum est: et vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti. Nodum in apice neque in cinctu, neque alia in parte ullum habet: si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est: capillum Dialis nisi qui liber homo est, non detonset: capram et carnem incoctam et ederam et fabam neque tangere Diali mos est, neque nominare: propagines e vitibus altius praetentos, non succidet: pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet: et de eo lecto trinoctium continuum non decubat; neque in eo lecto cubare alium fas est, neque apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet: unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. Dialis cotidie festatus est: sine apice sub divo esse licitum non est: sub tecto uti liceret, non pridem a pontificibus constitutum. *(Gellius lib. X cap.* 15 *init.)*

— nam et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum verbum hoc sollemne sacrificantibus est: sicut Verranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius verbi executus est: Exta porriciunto, diis danto in altaria, aramve, focumve, eove quo exta dari debebunt. *(Macrobius Saturnal. III c. 2 init.)*

Nam primo pontificii iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est, Vitulari. *(Macrobius III cap. 2 med.)*

LIB. III.

Idem *(Fabius Pictor)* lib. iuris pontificii III: Pilumno et Picumno. *(Nonius in Picumnus.)*

LIB. XVI.

Fabius Pictor lib. XVI: Aquam manibus pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua. *(Nonius in Polubrum.)*

INCERTA.

Commentario veteri Fabii Pictoris legi: Muries fit ex sale, quod sal sordidum tunsum est, et in ollam rudem fictilem adiectum est, et postea id sal virgines Vestales serra ferrea secant. *(Nonius: Sal neutro genere.)*

Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen, sacrum cereale faciens Telluri et Cereri: Vervactorem, Reparatorem, Imporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem. *(Servius ad Georg. I vers. 21.)*

L. SCRIBONIUS LIBO.

Post Aulum Albinum Serviumque Fabium inter oratores a Cicerone (Brut. cap. 23) nominatur is, qui nobis quoque afferendus est, Lucius Scribonius Libo. Tribunus plebis, praetore Ser. Galba a. 605, quo anno mortuus est Cato censorius, rogationem promulgavit, ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur: cf. Cic. Brut. c. 23, Liv. epit. lib. 49; sed apud Ciceronem perperam legitur Titus pro Lucio. Superest de eo locus hic Ciceronis in ep. ad Att. XII, 5: „Et vide, quaeso, L. Libo, ille, qui de Ser. Galba, Censorinone et Manilio, an T. Quintio M'. Acilio consulibus tribunus plebis fuerit.“ Deinde cf. de orat. II, 65 § 263; Valer. Max. VIII, 1 § 2. Quas potissimum res noster descripserit, et utro sermone, vix quisquam facile dixerit, cum et tanta sit fragmentorum paucitas, et ne a Cicerone quidem de legg. I, 2 inter annalium confectores nominetur. Sed ex Ciceronis silentio cave eum Graece scripsisse arbitrere. Ceterum, si lubet, in historiam eius ex orationibus coniecturam facias, de quibus Tullius in Bruti cap. 23 sub fin.: „Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest.“

FRAGMENTA.

Mihi, sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint. Polybius non nominat. Ego memini Albinum consularem et Sp. Mummium. Videor audisse ex Hortensio, Tuditanum. Sed in Libonis an-

nali (al. *annali secundo)*, quattuordecim annis post praetor est factus Tuditanus quam consul Mummius: non sane quadrat. *(Cic. ep. ad Att. XIII,* 30.*)*

Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexisti, credo, quia διὰ σημείων scripseram. De C. Tuditano enim quaerebam, quem ex Hortensio audieram fuisse in decem: eum video in Libonis (al. *in Libonis annali)* praetorem P. Popillio, P. Rupilio consulibus. Annis quattuordecim ante, quam praetor factus est, legatus esse potuisset? Nisi admodum sero praetor est factus: quod non arbitror. Video enim curules magistratus eum legitimis annis perfacile cepisse. *(Cic. ep. ad Att. XIII,* 32.*)*

L. CALPURNIUS L. F. C. N. PISO FRUGI.

Tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio consulibus tulit a. u. c. 605, quo mortuus est Cato censorius: cf. Cic. de off. II, 21 extr.; in Verr. III, 84 § 195; IV, 25 § 56; in Brut. c. 27 § 106, ubi nominatur post A. Albinum, Serv. Fabium (c. 21), L. Libonem (c. 23), C. Fannium et L. Coelium Antipatrum (c. 26), quanquam de legg. I, 2 Fannius affertur post Pisonem, Fanniique aetati Coelius Antipater coniunctus dicitur. Administravit noster singulari fide rem monetariam: cf. Pigh. annal. a. 605 et 599; tenuit praeturam, deinde consulatum cum P. Mucio Scaevola P. Max. a. 611, quo occisus est Ti. Sempronius Gracchus: Cic. in accusat. III, 49, Vellei. Paterc. II, 2. Censor autem fuit cum Q. Caecilio Metello Balearico, diciturque saepius cen-

sorius, a Dionysio lib. II pag. 105 lin. 38 et II pag. 106, Maii excerpt. XII cap. 10; a Censorino cap. 17; a Plinio XIII, 13 (ubi perperam Gaius vocatur); etiam Frugi cognomine appellatur, ut a Dionysio lib. IV p. 213; Gell. XI, 14; Plin. 33 c. 2 extr.; Priscian. X p. 887; Cic. ep. ad fam. IX, 22, eadem prorsus ratione, qua A. Albinus, quod ante dixi, citari non solet, nisi ut addatur Graece eum scripsisse historiam, fuisseque cum L. Lucullo consulem. Fuit autem Piso homo antiquae severitatis, summaque vitae integritate atque innocentia, unde et cognomen Frugi rettulit, et saepius a veteribus multum laudatur: cf. Valer. Max. II, 7, 9; Frontin. strat. IV, 1; Oros. V, 6; Paul. Diac. IV, 23. — Cic. in accusat. III, 84; IV, 25; Tuscul. III, 8; pro Fonteio c. 13; Valer. Max. IV, 3; Plin. XXXIII, 2. De nobilitate gentis Calpurniae cf. Plutarchus in Numa p. 73 E ed. Franc. Cognomen denique familia, Plinio teste XVIII, 3 init., traxit a pisendo. Sed ut veniamus ad rem nostram, Cicero ita scribit in Bruto c. 27 extr.: „Ipse etiam Piso et caussas egit, et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit *(cf. Cic. Tuscul. III, 20)*: isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt, et annales, sane exiliter scriptos.“ Etiam de legg. I, 2 et de orat. II, 12 § 51 et 53 inter eos refertur, qui rerum narratores, non exornatores sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerint, neque teneant, quibus rebus ornetur oratio, et unam dicendi laudem putent brevitatem. At Gellius N. A. lib. VI cap. 9: „L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone.“ Et lib. XI c. 14: „Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis vita

atque victu scriberet.“ Sed haec de dicendi genere iudicia non ita contraria putanda sunt, cum posteriores scriptores, Tacitus, Gellius aliique antiquissimos quosque scriptores tanti aestimarent, ut eos etiam ad imitandum sibi proponerent. Inscripsit autem opus historicum, quantum videtur, annales: hos enim laudat Cicero in Brut. c. 27, in ep. ad Paetum IX, 22; Gellius VI, 9; XI, 14; XV, 29; Priscian. X p. 887; Plin. 28 c. 2; Varro de L. L. V, 41 et 46; Censorin. c. 17; Lactant. I, 6. Tum Dionysius ait lib. IV p. 213 ἐν ταῖς ἐνιαυσίοις πραγματείαις et IV p. 220 ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγράφει ἱστορίᾳ. Historiae tamen dicuntur a Prisciano lib. X p. 877; eundemque procul dubio librum significat Plinius XIII, 13 ita referens: *Hoc idem tradit L.* (vulgo perperam *C.*) *Piso censorius primo commentariorum:* coll. Liv. XL, 29. Tituli saltem diversitas nihil me commovet, neque ego facile apud Plinium Gaium Pisonem eum intellexerim, quem laudat Plutarchus in Mario (c. 43 ed. Francof. p. 432 E: Γάϊος δέ τις Πείσων, ἀνὴρ ἱστορικός), ut quod additur a Plinio *censorii* nomen subditum videatur. Quamobrem mea quidem sententia, quae Livium de Numae libris videmus ad a. u. c. 573 (a. Ch. 181) narrasse, ea Piso noster Frugi in primo annali, quo executus est historiam regum, exposuit. Latine autem scripsit res populi Romani inde ab urbe condita usque ad sua tempora; quae enim Censorinus cap. 17 auctore nostro Pisone affert, incidunt in annum 608. Neque ullo vel non multo pluribus quam septem libris annales constitisse videntur, cum M. Aemilium Lepidum, C. Popillium II consules (a. u. 595) in septimo appellarit. Deinde sine dubitatione, id quod etiam e fragmentis intelligere mihi videor, pari modo copiose res narravit, at-

que ceteri, iamiam recensiti, qui a Cicerone (de orat. II, 12 § 53) de orationis genere iudicante, unam dicendi laudem brevitatem putasse dicuntur. In primo autem libro de Italia deque temporibus ante urbem conditam disputavit, narravitque etiam totam regum historiam, in qua quidem singularis admodum et ieiuna est fabula de Romulo, licet Gellio XI, 14 simplicissimam suavitatem habere videatur. Deinde altero libro, ut Livius, de primis consulibus disseruit (Gell. XV, 29) deque a. u. c. 283; tertio rettulit res anni 450, quae apud Livium leguntur libro nono extremo: cf. Gell. VI, 9. Videtur autem mihi, ut Cato, calamitosa rei publicae tempora brevius absolvisse; quanquam Porcii ipsum scribendi consilium probam eius rei excusationem habet. Explicavit etiam res antiquitatis proprias, quas quidem nostrum in annalibus, non proprio libro, ut quidam putavit, tractasse, vel eam ob caussam certissimum est, quia Dionysius narrationem de Tarpeia, a Fabio Cincioque proditam, Pisonem desumpto e sacris argumento mutasse tradit lib. II p. 105 sqq. Porro eiusmodi res Pisonem in annalibus explicuisse, disertissimis verbis fatetur Varro de L. L. V p. 41 et 46 (cf. fragm. lib. I). Quo accedit, quod Pisonis nostri nullum opus commemoratur, quod diversum fuerit ab annalibus: commentarios enim, quos nominat Plinius XIII, 13 nec ab annalibus sive historiis diversos esse, nec res antiquarias proprie continuisse, satis, opinor, manifestum est. Tum scriptor noster, pro temporibus illis diligens et religiosus, fabulas ad rerum temporumque verisimilitudinem ac probabilitatem examinavit et explicavit, unde est factum, ut a ceteris saepius dissentiret, et aliqua primus narraret: Dionysius lib. II pag. 105 lin. 38; pag. 106 lin. 12 et 37; pag. 107 lin. 8; lib. IV pag. 213

τοῦδ' ἰσνόησε μόνος; Livius II, 32: *Ea fama frequentior est, quam cuius Piso auctor est.* Nec talia solum diligenter indagavit, sed etiam in magistratuum nominibus afferendis accurate versatus est, ut hac potissimum in re Livius auctorem eum, a ceteris discrepantem nominet, eiusque testimonio tribuere aliquid videatur: cf. imprimis Liv. IX, 44 et X, 9. Omnino autem in primis decem libris Livius eum saepius quam postea nominatim protulit; neque tamen ita, ut par erat, Pisonis auctoritatem videtur secutus esse, quemadmodum etiam Catonem aliosque propter festinationem iusto parcius adhibuit. Namque ut hoc unum commemorem, Livius XL, 29 Valerium Antiatem citat de libris sub terra inventis ac Pythagoricis habitis; sed Piso, qui est antiquior, et L. Cassius Hemina idem tradiderant, ut testis Plinius est in H. N. XIII, 13. Tum vero Livius 39 c. 6 consentit cum Pisone apud Plinium 34, 3 inque lib. I cap. 55 contra Livii sententiam, qui Pisoni fidem derogat, noster (secundum Niebuhrium I p. 297) videtur cum Fabio consentire. Pisonis autem testimonio usus Livius X, 9 Macrum Licinium ac Tuberonem refellit, scribens: *Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso effecit.* Similiter tamen Livius I, 55 Pisonis spreto testimonio, Fabio utpote antiquiori scriptori fidem dedit. Denique ex IX, 44 cognoscitur, quantopere Livius nostrum suspexerit. Quae cum ita comparata sint: ut in vita ipsa, ita etiam in scribendo severus fuisse, optimoque iure a Plinio II, 53 gravis auctor appellatus videtur. Accedunt praestantiae duo non leviora, opinor, argumenta, primum, quod a Cicerone de orat. II, 12 inter vetustissimos scriptores nominantur potissimum Cato, Pictor et Piso, quos cum ceteros ex Ciceronis aliorumque iudicio facile vicerint,

ideo maxime nominatos dixerim; alterum vero bonitatis disertius etiam testimonium est, quod, ut Fannii annales a Bruto, ita Pisonis nostri historiae in epitomas, nescio a quo, redactae sunt. Laudatur autem *Epitomarum Pisonis secundus* liber ab eo, qui conscripsit libellum de origine gentis Romanae cap. 18. § 3, quo loco, etsi plures Calpurnii (Pisones) fuerunt, non dubito cum recentioribus nostrum Pisonem censorium intelligere. Neque vero auctor eiusdem libelli cap. 10 § 2 et c. 13 extr. Pisonem, quem laudat, ab alio unquam distinxit: nam quod priore loco 10 § 2 legitur vulgo: *ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso:* cum Acilius Piso historicus plane ignotus sit, obsecundandum est Vossio legenti: *ut scribunt Vulcatius, Acilius et Piso:* quanquam Acilium is quidem scriptor alibi auctorem non exhibet. Iam vero fuisse plures, vel minimum duo Calpurnios (Pisones) historicos, Dionysius docet, dicens lib. I pag. 6 extr.: Ῥωμαῖοι συνέγραψαν, Πόρκιός τε Κάτων, καὶ Φάβιος Μάξιμος, καὶ Οὐαλέριος Ἀντιὰς, καὶ Δικίννιος Μάκερ, Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι, καὶ Καλπούρνιοι, καὶ ἕτεροι. Ecce Plutarchus in Mario sub finem p. 432 E ed. Francof. ita: Γάϊος δέ τις Πείσων, ἀνὴρ ἱστορικὸς, ἱστορεῖ τὸν Μάριον ἀπὸ δείπνου περιπατοῦντα μετὰ τῶν φίλων, ἐν λόγοις γενέσθαι περὶ τῶν ἑαυτοῦ πραγμάτων, ἄνωθεν ἀρξάμενον· καὶ τὰς ἐπ' ἀμφότερα πολλάκις μεταβολὰς ἀφηγησάμενον, εἰπεῖν, ὡς οὐκ ἔστι νοῦν ἔχοντος ἀνδρὸς ἔτι τῇ τύχῃ πιστεύειν ἑαυτόν. ἐκ δὲ τούτου τοὺς παρόντας ἀσπασάμενον, καὶ κατακλιθέντα συνεχῶς ἡμέρας ἑπτὰ, τελευτῆσαι. Eo loco altera lectio τιμητικὸς pro ἱστορικὸς, quae est cod. Vulcob., librarium de Lucio Pisone nostro, longe notiore ac nobiliore homine cogitasse ostendit. Fortasse autem Plutarchi ille *Gaius quidam Piso*, procul dubio ignotus historicus, est

Gaius

Gaius Calpurnius Piso, is, qui cum M. Acilio Glabrione consul fuit a. u. c. 687, inter oratores relatus a Cicerone in Bruti cap. 68 princip. Denique quem Pisonem apud Nonium Sisenna intellexerit, num nostrum censorium an alium quem, non possum discernere: Nonius in Senatuis: *Sisenna hist. libro III: Lucius Calpurnius Piso ex Senaticonsulto duas novas tribus.* Quamobrem cum plures Calpurnios Pisones res gestas scripsisse constet, dubium esse potest, num loci nonnulli, ubi non satis diserte L. Piso Frugi significatur, ad hunc nostrum, an Plutarchianum Gaium vel etiam alium, si unquam fuerit, Pisonem historicum referendi esse videantur. Cf. imprimis Arnob. III, 38 ubi Piso auctor dicitur cum Granio et Aelio, deinde Serv. Aen. X, 76; Macrob. Sat. I, 12 et III, 2, qui facile possunt grammatico vindicari, quanquam Varro in rebus similibus ad Pisonis historici auctoritatem provocat in fragm. lib. I. Sed tamen in tanta rei obscuritate et ambiguitate, quae in his litteris saepius occurrit, quanquam de rei veritate paululum dubitantes, cuncta fragmenta ad L. Pisonem Frugi censorium rettulimus; idque eo libentius fecimus, cum unus tantum Plutarchus *Gaium quendam Pisonem historicum* a nobilissimo Pisone nostro accurate seiungat.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Et postquam ad classem rediit, repperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine, ut scribunt Vulcatius, Acilius et Piso. *(Auct. lib. de or. gent. Rom. cap.* 10 § 2.

Vulgo: Vulcatius et Acilius Piso, *referturque ad fragm. incerta.)*

Piso quidem Turnum matruelem Amatae fuisse tradit, interfectoque Latino mortem ipsam sibimet conscivisse. *(Auct. lib. de or. gent. Rom. c.* 13 *extr. Vulgo ad fragm. incerta. Cf. locum Servii in incert. Fab. fragm. p.* 59.*)*

Piso Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiae. *(Serv. ad Aen. X,* 76. *Vulgo ad fr. incerta.)*

Piso uxorem Vulcani Maiestam, non Maiam dicit vocari. *(Macrob. I,* 12 *med. Vulg. ad fr. incerta.)*

Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν *cet. (Dionysius lib. I cap.* 79 *pag.* 64 *extr. ed. Sylburg. Vide fragm. Q. Fab. Pict. pag.* 52.*)*

Primo autem apud Athenienses statutum est *(asylum)* ab Herculis filiis, quos insequebantur ii, qui erant a patre ipsorum oppressi. Hoc asylum etiam Romulus imitatus est: unde est (VIII, 342): Quem Romulus acer asylum rettulit: non statuit. Quem locum deus Lycoris, sicut Piso ait, curare dicitur. *(Serv. ad Aen. II,* 761. *Vulg. ad incert.)*

Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis vita atque victu scriberet. Ea verba, quae scripsit, haec sunt: Eundem Romulum dicunt ad coenam vocatum, ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet. Ei dicunt: Romule, si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. Is respondit: immo vero carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego bibi, quantum volui. *(Gellius XI,* 14.*)*

Dehinc idem Romulus Iovi Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradidit. *(Tertullianus de spectac. c. 5 sub fin. Vulgo omitt. et — mirabile dictu! ad Cincium refertur. Cf. p. 75.)*

Piso historiarum I: Cuius unius praemio multorum allicuit animos. *(Prisc. X p. 877 ed. Putsch.)*

Denique Italia a vitulis, ut scribit Piso. *(Varro de re rust. II, 1 § 9.)*

In foro Lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia; nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is, C. Aelius Stilo secutus. — — Piso in annalibus scribit Sabino bello quod fuit Romulo et Tatio, virum fortissimum Metium Curtium Sabinum, cum Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, Curtium in locum palustrem, qui tum fuit in foro antequam cloacae sunt factae, secessisse atque suos in capitolium recepisse; ab eo lacum invenisse nomen. *(Varro de L. Lat. lib. V p. 41.)*

Tertia *(porta)* est Ianualis, dicta ab Iano, et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi quom bellum sit nusquam. *(Varro de L. Lat. lib. V p. 46.)*

Evocatum *(fulmen)* et a Porsena suo rege. Et ante eum a Numa saepius hoc factitatum in primo annalium suorum tradit L. Piso gravis auctor. *(Plin. II, cap. 53.)*

L. Piso primo annalium auctor est, Tullum Hostilium regem ex Numae libris eodem, quo illum, sacrificio Iovem coelo devocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum. *(Plin. 28, 2.)*

Eo magis Fabio praeterquam quod antiquior est,

crediderim, quadraginta ea sola talenta fuisse, quam Pisoni; qui quadraginta milia pondo argenti seposita in eam rem scribit, summam pecuniae neque ex unius tum urbis praeda sperandam, et nullius ne horum quidem magnificentiae operum, fundamenta non exuperaturam. *(Livius I, 55 extr.)*

In his libris scripta erant philosophiae Pythagoricae, eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. Hoc idem tradit L. *(vulgo perperam C.)* Piso censorius primo commentariorum: sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse. *(Plin. XIII, 13. Cf. Liv. 40 cap. 29. Lactant. I, 22. Plutarch. in Numa.)* [1]).

Ὁ Νουμᾶς ἐτελεύτησεν, οὐ ταχείας οὐδ' αἰφνιδίου γενομένης αὐτῷ τῆς τελευτῆς, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ὑπὸ γήρως καὶ νόσου μαλακῆς ἀπομαραινόμενος, ὡς ἱστόρηκε Πείσων, ἐτελεύτησε δὲ χρόνου οὐ πολὺν τοῖς ὀγδοήκοντα προσβιώσας. *(Plut. in Numa cap. 21 p. 74 B.)*

Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ, *(Tarpeiam)* καλοῦ πράγματος ἐπιθυμίᾳ γυμνοὺς τῶν σκεπαστηρίων ὅπλων παραδοῦναι τοῖς πολίταις τοὺς πολεμίους. *(Dionys. lib. II p. 105 lin. 38 cap. 38.)*

Πείσων γὰρ ὁ τιμητικὸς ἄγγελόν φησιν ὑπὸ τῆς Ταρπείας ἀποσταλῆναι νύκτωρ ἐκ τοῦ χωρίου, δηλώσοντα τῷ Ῥωμύλῳ τὰς γενομένας τῇ κόρῃ πρὸς τοὺς Σαβίνους ὁμολογίας, ὅτι μέλλοι τὰ σκεπαστήρια παρ' αὐτῶν αἰτεῖν ὅπλα, διὰ τῆς κοινότητος τῶν ὁμολογιῶν παρακρουσαμένη, δύναμίν τε ἀξιώσοντα πέμπειν ἐπὶ τὸ φρούριον ἑτέραν νυκτὸς, ὡς αὐτῷ στρατηλάτῃ παραληψόμενον τοὺς πολεμίους γυμνοὺς τῶν ὅπλων· τὸν δὲ ἄγγελον αὐτο-

1) Initio Plinius testem laudaverat L. Cassium Heminam, cuius vide fragm. ad lib. quartum. Livius nec Pisonem nec Heminam auctorem nominat, sed Antiatem Valerium.

μολήσαντα πρὸς τὸν βασιλέα Σαβίνων, κατήγορον γενέσθαι τῶν τῆς Ταρπείας βουλευμάτων. Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιον cet. *(Dionysius lib. II pag.* 106, *cap.* 39.*)*

Ἔπειτα πάλιν ὁ μὲν Πείσων φησὶ τῶν Σαβίνων τὸν χρυσὸν ἑτοίμων ὄντων διδόναι τῇ κόρῃ τὸν περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίονι, τὴν Τάρπειαν οὐ τὸν κόσμον, ἀλλὰ τοὺς θυρεοὺς παρ' αὐτῶν αἰτεῖν. Ταπίῳ δὲ θυμόν τε εἰσελθεῖν ἐπὶ τῇ ἐξαπάτῃ, καὶ λογισμὸν τοῦ μὴ παραβῆναι τὰς ὁμολογίας. Δόξαι δ' οὖν αὐτῷ δοῦναι μὲν τὰ ὅπλα, ὥςπερ ἡ παῖς ἠξίωσε, ποιῆσαι δ' ὅπως αὐτῶν μηδενὶ λαβοῦσα χρήσηται. Καὶ αὐτίκα, διατεινάμενον ὡς μάλιστα ἰσχύος εἶχε, ῥίψαι τὸν θυρεὸν κατὰ τῆς κόρης, καὶ τοῖς ἄλλοις παρακελεύσασθαι τοῦτο ποιεῖν. Οὕτω δὴ βαλλομένην πάντοθεν τὴν Τάρπειαν, ὑπὸ πλήθους τε καὶ ἰσχύος τῶν πληγῶν πεσεῖν, καὶ περισωρευθεῖσαν ὑπὸ τῶν θυρεῶν ἀποθανεῖν. Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιον ἐπὶ τοῖς Σαβίνοις ποιοῦσι τὴν τῶν ὁμολογιῶν ἀπάτην. Δέον γὰρ αὐτοὺς τὸν χρυσὸν, ὥςπερ ἡ Τάρπεια ἠξίου, κατὰ τὰς ὁμολογίας ἀποδιδόναι, χαλεπαίνοντας ἐπὶ τῷ μεγέθει τοῦ μισθοῦ, τὰ σκεπαστήρια καθ' αὑτῆς βάλλειν, ὡς ταῦτα, ὅτε ὤμνυσαν, αὐτῇ δώσειν ὑποσχομένους. *(Dionysius lib. II pag.* 107; *cap.* 40.*)*

Οὐχ υἱοὺς εἶναι Ταρκυνίου γράφω τοὺς παῖδας, ἀλλ' υἱωνοὺς, Λευκίῳ Πείσωνι τῷ Φρυγὶ συγκαταθέμενος. ἐκεῖνος γὰρ ἐν ταῖς ἐνιαυσίοις πραγματείαις τοῦθ' ἱστόρησε μόνος. *(Dionys. l. IV p.* 213 *lin.* 20 *cap.* 7.*)*

Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγράφει ἱστορίᾳ, βουλόμενος καὶ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων καὶ ἀπογινομένων, καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον ἔδει νόμισμα καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γεννωμένων.

εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων. εἰς δὲ τὸν τῆς Νεότητος, ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν. ἐξ ὧν ἤμελλε διαγνώσεσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὅσοι τε οἱ σύμπαντες ἦσαν, καὶ τίνες ἐξ αὐτῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν εἶχον. *(Dionys. IV p. 220 lin. 40 cap. 15.)*

LIB. II.

— apud Pisonem in secundo annalium. Verba Pisonis haec sunt: L. Tarquinium, collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere; eumque orat, uti sua voluntate Romam contendat. *(Gell. XV, 29.)*

Piso Frugi in II annalium: Quodcumque deliquisset, ignosciturum affirmabat. *(Prisc. X pag. 887 ed. Putsch.)*

— nisi Cloeliae *(statuam)* Piso traderet ab iis positam, qui una obsides fuerant, redditis a Porsena in honorem eius. *(Plin. XXXIV, 6.)*

Quis primus donatus sit ea, non inveni, sed quis primum donaverit, a L. Pisone traditur. A. Postumius dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis, ei, cuius maxime opera capta essent, hanc *(auream)* coronam ex praeda dedit. *(Plinius XXXIII, 2.)*

Ea frequentior fama est, quam cuius Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse. *(Livius II, 32.)*

Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt: numero etiam addito tres, perinde ac duo antea fuerint, Piso auctor est. Nominat quoque tribunos, C. Sicinium, L. Numitorium, M. Duilium, Sp. Icilium, L. Maecilium. *(Liv. II, 58; a. u. c. 283.)*

LIB. III.

Creati consules L. Postumius, Ti. Minucius. Hos consules Piso Q. Fabio et P. Decio suggerit, biennio exempto, quo Claudium Volumniumque, et Cornelium cum Marcio consules factos tradidimus. Memoriane fugerit in annalibus dirigendis, an consulto binos consules falsos ratus transcenderit, incertum est. *(Liv. IX, 44 init. Vulgo refertur ad fragm. incerta. Sed incidit res in a. u. 449.)*

— L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam pure et venuste narrata a Pisone: locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus: Cn., inquit, Flavius, patre libertino natus, scriptum faciebat: isque in eo tempore aedili curuli apparebat, quo tempore aediles subrogantur: eumque pro tribu aedilem curulem renuntiaverunt. At aedilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum aedilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse; scriptu sese abdicasse: isque aedilis curulis factus est. Idem Cn. Flavius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere aegrotum: et, in conclave postquam introivit, adolescentes ibi complures nobiles sedebant. Hi contemnentes eum, assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Annii filius aedilis id arrisit: sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis eorum exire posset; utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem. *(Gell. VI, 9 et Valer. Max. II, 5 § 2. Incidit res in a. u. c. 450.)*

Id ne pro certo ponerem vetustior annalium auctor Piso effecit; qui eo anno aediles curules fuisse tradit C. Domitium Cn. F. Calvinum, et Sp. Carvilium Q. F. Maximum. *(Livius X, 9 extr. Vulgo*

ad fr. incerta; possis fortasse ad lib. quartum referre. Incidit res in a. u. c. 455.)

LIB. VII.

Testis est Piso, in cuius annali septimo scriptum est sic: Roma condita anno DXCVI saeculum accipit his consulibus, quis proximi sunt consules M. Aemilius M. F. Lepidus, C. Popilius II absens. *(Censorin. de die nat. cap.* 17.)

Lucius Piso prodidit, M. Aemilio C. Popilio II consulibus a censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popilio statuas circa forum eorum qui magistratum gesserunt, sublatas omnes, praeter eas, quae populi aut senatus sententia structae essent. Eam vero, quam apud aedem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a censoribus. *(Plin. H. N.* 34 *c.* 6. *Vulgo ref. ad fr. incerta.)*

At Piso censorius et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat *(vivebant?)*, post annum factos tertium affirmant *(ludos saeculares)*, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCVIII. *(Censorin. de die nat. c.* 17. *Vulgo ad fr. incerta. Sed spectat ad lib. VII vel summum, si scripsit, VIII.)*

INCERTA.

Piso quinque milia hominum, cum Mago cedentes nostros effuse sequeretur, caesa ex insidiis scribit. *(Liv.* 25, 39 *extr. Spectat fortasse ad lib. quintum vel sextum; a. u. c.* 542.)

— victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos. Centum quadraginta duo fuere transvecti

ratibus, quas doliorum consertis ordinibus imposuerant. Verrius eos pugnasse in circo, interfectosque iaculis tradit penuria consilii: quoniam neque ali placuisset, neque donari regibus. L. Piso inductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum increscceret, ab operariis hastas praepilatas habentibus, per circum totum actos. *(Plin. VIII,* 6, *a. u. c.* 504. *Ex lib. IV vel V.)*

L. Piso tradit, Papirium Massonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. *(Plin. XV,* 29 *extr.)*

Mirum apud antiquos primo Punico bello classem Duillii imperatoris ab arbore excisa LX die navigasse. Contra vero Hieronem regem CCXX naves effectas diebus XLV tradit L. Piso. *(Plin. XVI,* 39. *Fortasse ex lib. IV.)*

Ab Aquileia ad duodecimum lapidem deletum oppidum, etiam invito senatu, a M. Claudio Marcello, L. Piso auctor est. *(Plin. III,* 19.*)*

Triclinia aerata, abacosque, et monopolia Cn. Manlium Asia devicta primum invexisse triumpho suo, quem duxit urbis anno DLXVII, L. Piso auctor est. *(Plin. XXXIV,* 3. *Consentit cum eo Livius XXXIX,* 6 *med., qui nullum auctorem exhibuit. Est a. u. c.* 567. *Spectat fortasse fr. ad lib. sextum.)*

Nec non et Romae in capitolio in capite bis bello Persei enata palma, victoriam triumphosque portendit. Hac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est, M. Messalae C. Cassii censorum lustro: a quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodidit. *(Plin. XVII,* 25.*)*

C. Furius Cresinus e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructu

peret, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, et adduxit filiam validam, atque, ut ait Piso, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: veneficia mea, Quirites, haec sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque et sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est. *(Plin. XVIII cap. 6.)*

At vero Piso ille Frugi in annalibus suis queritur, adolescentes peni deditos esse. *(Cicero epist. IX, 22 ad Paetum.)*

Quartam *(Sibyllam)* Cimmeriam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. *(Lactantius institut. divin. lib. I cap. 6.)*

Piso ait Vitulam Victoriam nominari, cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie Nonas Iulias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit, unde Populifugia vocantur, post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio. *(Macrob. Sat. III, 2 sub finem.)*

Novilenses Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos Granius Musas putat, consensum accommodans Aelio. *(Arnobius III, cap. 38.)*

EPITOMARUM PISONIS

LIB. II.

Qui tamen *(Aremulus Silvius)* praesenti affectus est poena; nam fulmine ictus raptusque turbine in

Albanum lacum praecipitatus est, ut scriptum est annalium libro sexto et Epitomarum Pisonis secundo. *(Auct. lib. de orig. gent. Rom, cap.* 18 § 3.*)*

L. CASSIUS HEMINA [1]).

Censorino teste (cap. 17) vixit ludis saecularibus quartis Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio consulibus a. 608, quo tempore Carthago et Corinthus deletae sunt. Appellatur *vetustissimus auctor annalium:* Plin. XIII, 13, et *ex antiquis auctor:* Plin. XXIX, 1; praenomen eius in fragmentis unus exhibet Priscianus lib. IX pag. 868 (fragm. lib. II); fortasse tamen, si locus ad nostrum spectat, etiam alter auctor, interp. Angeli Maii ad Virg. Aen. II, 717, qui nominat *L. Cassium censorium:* cf. ad fragm. incerta annotatio tertia. Nobilissimum autem virum fuisse, affirmare videtur Nepotis testimonium apud Suetonium (de clar. rhet. 3), ante L. Otacilium Pilitum historiam nisi ab honestissimo quoque scribi non esse solitam. Confecit Latine annales, ab aliis, ut e fragmentis cognoscetur, dicti etiam historiae, quibus res Romanas inde ab urbis primordio usque ad sua tempora executus est. Primo autem libro fabulas de Evandro, Aenea, ceteras copiose narravit, ac mentionem fecit Homeri atque Hesiodi. Secundo demum, dummodo verus sit numerus apud Diomedem, quo uno numero res nititur, disseruit de Romulo et Remo

---

1) Maffei in libro: Verona illustrata tom. II pag. 25 sqq. de Cassio Hemina nihil attulit, quod laborem nostrum levare potuisset.

deque porcis triginta; deinde Nonio teste (in *Censere*) de Porsena, et Macrobio auctore (I, 16) de urbis excidio, quae res (a. 364) legitur apud Livium lib. V cap. 36. Sed si quid video secundus liber, quemadmodum in annalibus Pisonis, Livii, aliorum, incepit ab exactis regibus, ut fragmenta de Romulo, de porcis triginta, de Numa, de Servio Tullio ceteraque ad primum librum referenda sint. An is dixit in altero de Romulo, qui tertio libro scripsit de bello Punico primo? De bello autem Punico primo in tertio eum libro disputasse, sine ulla dubitatione confirmaverim, cum quartus inscriptus fuerit *bellum Punicum posterior*. Quarto libro egit de bello Punico secundo, exposuitque res gestas anni 573, qui est vigesimus post finitum bellum Punicum secundum: cf. Plin. XIII, 13. Denique propter huius libri titulum verisimile est, ut bellum Punicum tertium quinto annali explicarit, quanquam is numerus nusquam affertur, nisi a Prisciano super XII vers. Aen. lib. VI pag. 1254 ed. Putsch., qui tamen eadem verba rectius fortasse ex Heminae libro tertio citavit lib. X p. 903 ed. P. Sed scripsisse Cassium de his quoque temporibus, fidem facit Censorini locus de die nat. cap. 17, ubi quartos noster ludos saeculares factos affirmat Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico coss., a. u. 608, Carthagine Corinthoque deletis, hoc est finito bello Punico tertio. Certe quattuor solum libris historiam constitisse, etsi Vossius dixit, tamen, cum testimonia plane deficiant, nullo pacto demonstrari potest: contra obstat libri quarti inscriptio et Censorini locus modo citatus. Multa scriptor noster, dummodo eiusmodi fragmenta recte cuncta ei vindicentur, ex sacris libris protulit, et in fabulis colligendis et tradendis rebus ad antiquitates spectantibus copiose versatus

est. Tum de dicendi genere, de quo nullum extat disertum testimonium, nihil, opinor, iudicandum est, quod sit magnopere diversum a iudiciis, quae de ceteris annalium confectoribus leguntur apud Ciceronem de orat. II, 12 et de legg. I, 2. Sed tamen cum non ita raro citetur a Nonio, facile potest sermonis usitati emendator haberi. Iure vero mirere, unde sit factum, ut nec Cicero eum laudet, nec historicorum quisquam, Livius, Dionysius, Plutarchus aliusve testem eum nominatim attulerit. Quanquam idem accidit Q. Fabio Maximo. Non tamen dubito, quin, ut decet bonum scriptorem, et monumenta et superiorum historicorum annales consuluerit, quod quidem alterum de Catonis Originibus satis certum videtur, cum ea, quae ex Heminae annalibus Priscianus servavit (cf. fragm. lib. III init. et lib. V init.), Catonis verbis maxime congruant. Fortasse etiam ex altero loco Heminae auctor Cato intelligitur Serv. ad Aen. I, 421: cf. incerta Heminae fragm. cum annotatione secunda.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Hemina historiarum libro primo: Et cum quo irent nesciebant, ilico manserunt. His persuadetur, ilico manerent; pars ilico manent. *(Nonius: ilico.)*

Hemina hist. lib. I: Prudens perplexim scotino scribit. *(Nonius: perplexim.)*

— utrumque tamen *(Homerum et Hesiodum)* ante Romam conditam vixisse, Silviis Albae regnantibus, annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit,

plus centum atque sexaginta annis. *(Gellius XVII c. 21 § 3.)*

Eo *(Evandro)* regnante forte Recaranus quidam Graecae originis, ingentis corporis et magnarum virium pastor, quia erat forma et virtute ceteris antecellens, Hercules appellatus, eodem venit. Cumque armenta eius circa flumen Albulam pascerentur, Cacus Evandri servus, nequitiae versutus et praeter caetera furacissimus, Recarani hospitis boves subripuit; ac, ne quod esset indicium, aversas in speluncam attraxit. Cumque Recaranus vicinis regionibus peragratis, scrutatisque omnibus eiusmodi latebris, desperasset inventurum, utcunque aequo animo dispendium ferens, excedere his finibus constituerat. At vero Evander excellentissimae iustitiae vir, postquam rem, uti acta erat, comperit, servum noxae dedit, bovesque restitui fecit. Tum Recaranus sub Aventino Inventori patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, et apud eam decimam sui pecoris profanavit. Cumque antea moris esset, uti homines decimam fructuum regibus suis praestarent; aequius sibi ait videri, deos potius illo honore impartiendos esse, quam reges; inde videlicet tractum, ut Herculi decimam profanari mos esset, secundum quod Plautus: In partem, inquit, Herculaneam, id est, decimam. Consecrata igitur ara Maxima, profanataque apud eam decima, Recaranus, eo quod Carmentis invitata ad id sacrum non affuisset, sanxit, ne cui feminae fas esset vesci ex eo, quod eidem arae sacratum esset: atque ab ea re divina feminae in totum remotae. Haec Cassius libro primo. *(Auct. lib. de or. gent. Rom. c. 6.)*

Nec omissum sit, Aeneam aestate ab Ilio capto secunda, Italicis littoribus appulsum, ut Hemina tradit, sociis non amplius sexcentis, in agro Laurenti

posuisse castra: ubi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quae Ἀφροδίτη dicitur *cet.* *(Solinus cap. 8.)*

LIB. II.

Hoc ita affirmat hoc modo Cassius Hemina in secundo historiarum: Pastorum vulgus sine contentione consentiendo, praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit; sus parit porcos triginta; cuius rei fanum fecerunt Laribus Grundilibus. *(Diomedes lib. I pag. 379 ed. Putsch.)* [1])

— ut apud Cassium in annalibus: Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia coepisset. *(Serv. ad Aen. I vers. 56.)*

Cassius autem Hemina ait: Tarquinium Superbum cum cloacas populum facere coegisset, et ob hanc iniuriam multi se suspendio necarent, iussisse corpora eorum cruci affigi. Tunc primum turpe habitum est mortem sibi consciscere. *(Servius Aen. XII, 603. Vulgo refertur ad fragm. incerta.)*

Cassius Hemina historiarum libro secundo: Censuit sese regem Porsenam occidere. *(Nonius: censere. Cf. Livius II, 12.)*

Cassius Hemina de censoribus libro secundo: Et

---

1) Nonio teste Hemina libro secundo (si verus numerus est, nam in his rebus multa sunt menda) de Porsena rege disseruit; et auctore Macrobio I, 16 etiam de a. u. c. trecentesimo sexagesimo tertio. Quamobrem Diomedis locum lib. I pag. 379 ad primum Heminae librum spectare puto. Cn. quidem Gellius secundo libro de raptis Sabinis dixit, et tertio de Tito Tatio; sed is in permultos libros annales distribuit. Tum L. Cincium Alimentum in altero demum annali de Alba Longa disseruisse, vix possum adduci, ut arbitrer: cf. pag. 73.

in area in capitolio signa quae erant, demoliuntur. *(Nonius: moliri.)*

Cassius Hemina annali libro secundo: Tunc Marcus praeco primum proletarios armavit. *(Nonius: proletarii.)* [2])

Cassius Hemina annali libro secundo: Quae nata sunt, ea omnia denasci aiunt. *(Nonius: denasci, decrescere.)*

L. Cassius Hemina in secundo annalium: Idque admiratum esse gavisi. *(Priscian. IX pag. 868 ed. Putsch.)*

Pisces marinos in usu fuisse protinus condita Roma, auctor est Cassius Hemina: cuius verba de ea re hic subiiciam: Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia commentus ut convivia publica et privata, coenaeque ad pulvinaria facilius compararentur: ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque praemercarentur. *(Plinius XXXII, 2.)*

Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare: atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo non esse purum ad rem divinam, nisi tostum. *(Plinius XVIII, 2.)*

Sed Cassius Servium Tullium fecisse nundinas dicit, ut in urbem ex agris convenirent, urbanas rusticasque res ordinaturi. *(Macrob. Saturn. I, 16.)*

Tuditanus refert libro tertio magistratuum, decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de inter-

2) Popma non inepte legendum censet: *tum Marcus praetor*, ut sit M. Livius M. F. C. N. Denter, Drusus, praetor C. Fabricio Luscino, Q. Aemilio Papo consulibus a. u. c. 472, coll. Augustin. de civit. dei III, 17.

tercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores. *(Macrob. I, 13 extr.)*

Horum caussam Gellius annalium libro quintodecimo, et Cassius Hemina historiarum libro secundo referunt. Anno ab urbe condita trecentesimo sexagesimo tertio a tribunis militum Virginio, Manlio, Aemilio, Postumio collegisque eorum in senatu tractatum, quid esset propter quod totiens intra paucos annos male esset afflicta res publica; et ex praecepto patrum L. Aquinium haruspicem in senatum venire iussum, religionum requirendarum gratia, dixisse, Q. Sulpicium tribunum militum, ad Alliam adversum Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quintiles; item apud Cremeram, multisque aliis temporibus et locis, post sacrificium die postero celebratum male cessisse conflictum: tunc patres iussisse, ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur: pontificesque statuisse, postridie omnes Calendas, Nonas, Idus atros dies habendos; ut hi dies neque proeliales, neque puri, neque comitiales essent. *(Macrob. I, 16 coll. Liv. V, 36.)*

LIB. III.

Cassius Hemina in tertio annalium: In campo Tiburti, ubi hordeum demessuerunt. *(Priscianus X pag. 903 ed. Putsch. cf. fragm. lib. V.)* [3])

Cassius Hemina in tertio annalium: Hos libros si quis nostratis sapiens. *(Priscian. XII pag. 948.)*

3) Cato in secundo (cod. Dresd. *in quinto*) Originum Prisciano teste (X p. 903 et super XII vers. Aen. VI p. 1254 ed. Putsch.) ita scripsit: *In campo Tiburti, ubi hordeum demessuit.*

Cassius Hemina libro tertio: Mulier cantabat tibiis Phrygiis, et altera cymbalissabat. *(Nonius: cymbalissare.)*

Cassius Hemina annalium libro tertio: Homo mere literosus. *(Nonius: literosus.)*

Cassius Hemina ex antiquis auctor est, primum e medicis venisse Romam Peloponneso Archagatum, Lysaniae filium, L. Aemilio M. Livio consulibus, anno urbis DXXXV eique ius Quiritium datum, et tabernam in compito Acilio emptam ob id publice. Vulnerarium eum fuisse e re dictum, mireque gratum adventum eius initio; mox a saevitia secandi urendique transisse nomen in carnificem, et in taedium artem omnesque medicos. *(Plinius XXIX cap. I.)* [4])

LIB. IV.

Cassius Hemina annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: Bellum Punicum posterior. *(Priscian. VII, p. 767 ed. Putsch.)* [5])

---

4) Vulgo fragm. Plin. 29, 1 refertur ad incerta. Sed cum res pertineat ad a. u. 535 (ante Ch. 219), cumque quartus liber inscriptus fuerit *bellum Punicum posterior* (Priscian. VII, 767; quod incepit a. u. 536): hoc fragm. ad tertium librum spectare, admodum verisimile arbitror.

5) Priscianus l. l. ita: „Nec mirum tam in e quam in i comparativorum ablativos terminari, quando vetustissimi etiam neutrum in or finiebant, et erat eadem terminatio communis trium generum; quae capax est, ut docuimus, utriusque ablativi, tam in e quam in i terminantis. Valerius Antias in VI annalium: Hoc senatusconsultum prior factum est. Cassius Hemina annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: Bellum Punicum posterior. Claudius in IIX annalium: Qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent. Idem in eodem: Ubi decreverunt, commemorant Gracche foedus prior Pompeianum non esse servatum."

Eabus etiam pro eis differentiae caussa in feminino genere Hemina protulit in quarto annalium: Scriba pontificius, qui cum eabus stuprum fecerat: dicit enim de Vestalibus. *(Priscian. VII pag.* 733 *ed. P. Incidit res in a. u.* 538, *a. Ch.* 216, *quo Opimia et Floronia Vestales virgines incesti damnatae sunt. Liv.* 22 *c.* 57. *L. Cantilius scriba pontificis fuit.)*

Cassius Hemina annalium libro quarto: Nemo vicinus consedo. *(Nonius: consedo. Ed. Mercer. Vulgo ref. ad lib. tertium.)*

Hemina historiarum libro quarto: In Hispania pugnatum bis, utrasque nostri loco moti. *(Nonius: utrasque pro utrimque.)*

Hemina annalium libro quarto: Ex Tiberi lacte haurire. *(Nonius: lacte.)*

Cassius Hemina historiarum libro quarto: Qua fine omnis res atque omnes artes humanitasque aguntur. *(Nonius: finis feminin.)* [6])

Cassius Hemina, vetustissimus auctor annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem, offendisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnavit, situs fuisset. In eadem libros eius repertos, P. Cornelio L. F. Cethego, M. Baebio Q. F. Tamphilo consulibus ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXXV et hos fuisse e charta: maiore etiamnum miraculo, quod tot

6) Nonius in *humaniter* habet eundem locum corruptissime, ut solet: *Cassius Hemina historiarum libro quarto: Quare fini omnis artis atque humanitus aguntur.* Vide Mercerii annotationes, Lipsiae a. 1826 iterum typ. impres. Sed mihi etiam priore loco, id est Non. s. v. *finis*, videtur scribendum *humanitus*, pro *humanitasque.*

infossi duraverint annis. Quapropter in re tanta ipsius Heminae verba ponam: Mirabantur alii, quomodo illi libri durare potuissent. Ille ita rationem reddebat: Lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquoversus. In eo lapide insuper libros impositos fuisse, propterea arbitrarier eos non computruisse, et libros cedratos fuisse, propterea arbitrarier tineas non tetigisse. In his libris scripta erant philosophiae Pythagoricae. Eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. Hoc idem tradit L. Piso censorius I commentariorum: sed libros septem iuris pontificii, totidemque Pythagoricos fuisse: Tuditanus XIII, Numae decretorum fuisse: Varro humanarum antiquitatum VI, Antias II, duos pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae continentes. Idem tertio ponit, quo comburi eos placuerit. Inter omnes vero convenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse: ex quibus igni duo cremati ab ipsa, tertius cum capitolio Syllanis temporibus. *(Plinius XIII,* 13. *Est a. u. c.* 573. *Livius* 40 *c.* 29 *auctorem rei exhibet Antiatem Valerium cf. Lactantius div. instit. I,* 22. *Plutarchus in Numa c.* 22.*)*

LIB. V.

Cassius Hemina in quinto annalium: ubi hordeum demessuerunt. *(Priscian. super XII ver. Aen. lib. VI pag.* 1254 *ed. Putsch.)* [7])

---

7) Vulgo hoc fragm. omittitur, nec in fr. collectionibus quintus liber affertur. Eadem verba Priscianus X p. 903 (vide lib. III init. frag. Heminae) ad tertium librum refert, ad quem hic quoque locus fortasse spectat.

At Piso censorius et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos *(quartos ludos saeculares)* tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCVIII. *(Censorin. de die nat. cap. 17.)*

INCERTA.

Hemina in annalibus: Quicunque propter plevitatem agro publico eiecti sunt. *(Nonius: plevitatem, ignobilitatem.)* [1])

Cassius Hemina docet ita: Sinvegiae *(Burm. Sinuessae)* magalia addenda, murumque circum eam. *(Servius ad Aen. I, 421.)* [2])

Cassius similiter: adulatique erant ab amicis et adhortati. *(Priscian. VIII pag. 791 ed. P. adhortari passive.)*

Cassius Hemina dicit, Samothracas deos, eosdemque Romanorum penates, proprie dici θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατούς. *(Macrob. Sat. III cap. 4.)*

Alii autem, ut Cassius Hemina, dicunt deos penates ex Samothracia appellatos, θεοὺς μεγάλους, θεοὺς δυνατοὺς, θεοὺς χρηστούς. *(Servius ad Aen. I, 378.)*

---

1) Nonius s. v. plevitatem ex Catonis oratione affert: *Propter tenuitatem et plevitatem.* Videtur Cassius Catonis sermonem imitatus esse.

2) Servius ad Aen. I, 421 ex libro I Originum Catonis refert: *Magalia aedificia quasi cohortes rotundas dicunt.* Cf. Salmas. ad Solin. p. 219, a, E. F. 220, a, D. et Voss. Etymol. sub *Magalia.*

Cassius Hemina tradidit, Siculum quendam nomine uxoris suae Clytemnestrae condidisse Clytemnestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum. *(Servius ad Aen. VII,* 631. *Ad primum lib. ret. tulerim.)* [3])

TIMAEUS.

Commemorentur hoc loco Graeci scriptores quattuor, Timaeus, Zeno, Polybius, Strato. Eorum Timaeus Siculus, Pyrrhi regis aequalis, una cum Hieronymo Cardiano a Dionysio in ant. Rom. lib. I p. 5 lin. 29 in universali historia res Romanas attigisse dicitur, afferturque auctor de penatum forma et habitu lib. I pag. 54 extr., deque tempore, quo sit urbs condita lib. I p. 60 init. Polybius permultis locis odii in Timaeum plenus auctoritatem eius infringit. Fuit enim Timaeus Aristotelis (Polyb. lib. XII paene

3) Vulgo ad L. Cassii Heminae fragm. refertur locus Lactantii lib. I cap. 13 (cf. Minucius Felix in Octavio): „Omnes ergo non tantum poetae, sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoria prodiderunt: Graeci Diodorus et Thallus, Latini Nepos et Cassius et Varro." En Tertullianus Apologet. adversus gentes cap. 10 auctorem nominat Cassium Severum: „Saturnum itaque quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus, aut Thallus, neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator eiuscemodi antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt." Quod cum ita sit, non discerno, num ad Heminam pertineat locus vulgo omissus interp. Angeli Maii ad Virgil. Aen. II, 717: „Additur etiam a L. Cassio cen-

totum), Democharis, Agathoclis, Ephori, Callisthenis, Philisti aliorumque scriptorum nimis severus iudex, unde dictus est etiam ἐπιτίμαιος, βάσκανος, συκοφάντης a Strabone, Diodoro, Suida, et a Cornelio in Alcib. c. 11 maledicentissimus. Atque eodem eum nomine reprehendit etiam Longinus in libro περὶ ὕψους. Sed utut est res comparata, iniquiores iudices videtur nactus esse, eorumque imprimis Polybium, cui in hac re ceteri sunt obsecuti. Diligens autem fuit in rebus colligendis, etsi ignominiose dictus est γραοσυλλέκτρια; vulgarem fecit rationem secundum olympiadas computandi, nullum tamen ad scribendum attulit usum forensem (Cic. de or. II, 14 § 58). Denique Timaeus peculiari volumine, seiuncto ab historiis, Pyrrhi Epirotae bella perscripsit, ut luculenti testes sunt Cicero V, 12 § 4 in epist. ad Lucceium et Dionysius in ant. Rom. lib. I pag. 5 lin. 30.

---

sorio, miraculo magis Aeneam patris .... rem inter hostes intactum properavisse." Idem valet de loco vulgo omisso, ubi Cincius (cf. p. 82) et Cassius grammatici intelligendi videntur, Serv. ad I Georg. vers. 10: „Cincius et Cassius aiunt ab Evandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras faunas primo appellatas, postea fana dicta; et ex eo qui futura praecinerent, fanaticos dici." Deinde quodammodo videtur dubitandum de locis iis, ubi *Cassii* tantum nomen legitur, quos tamen cum veris Heminae fragmentis transscripsi, quia falsa esse demonstrari nequit: cf. Auct. de or. gent. Rom. c. 6 ad Hemin. lib. I; Serv. ad Aen. I, 56 ad lib. II. Imprimis vero dubitatio exoriri potest de Macrob. I, 16 ad lib. II; Macrob. I, 13 ad lib. II; Priscian. VIII pag. 791 ad fragm. incerta.

ZENO.

Nomine tenus afferatur Zeno, qui Vossio opinante mox post bellum Punicum primum viguit, Laertioque teste conscripsit τὴν Πύῤῥου ἱστορίαν εἰς Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν. Sed de scriptore hoc satis ignoto cf. Vossius de historicis Graecis lib. I cap. XVI.

POLYBIUS.

Polybius, Lycortae filius, Megalopolitanus, natus est a. u. 549, Romam venit a. 589, et mortuus est a. 631 annis decem et septem ante natum Ciceronem. Senex quadraginta libris composuit ἱστορίαν καθολικήν, ad quam nemo facile instructior accessit ab experientia, usu, doctrina, ingenio. Scribendi tamen summam rationem Romanorum usui ac consuetudini debet, quippe quae Romanorum propria a Graecorum ingenio abhorreat. Excipit autem Aratum (I, 3 § 2) et Timaeum (I, 5 init.), narravitque etiam Carthaginis (XXXIX, 3 § 6) et Corinthi (XL, 7) eversiones, quarum fuit αὐτόπτης; ceteris in rebus praestantissimos fontes habuit, nec paucos consultavit auctores, quos acerbius iniustiusque exagitare solet. Scylax Caryandensis Suida teste confecit ἀντιγραφὴν πρὸς τὴν Πολυβίου ἱστορίαν: tum Dionysius in ant. Rom. I p. 5 lin. 33, p. 6 lin. 24, p. 25 lin. 15, p. 60 lin. 24 scriptorem eum minus accuratum contendit. Sed, si rem velis brevi absolvere, praeter ceteros de Polybii auctoritate rectius iudicarunt Cicero et Brutus, qui historias in epitomen redegit, et Livius, qui XXX, 45 eum haudquaquam spernendum auctorem vocat,

nec exiguam Polybianae historiae partem paene transtulit. Idem XXXIII, 10 extr. dicit eum non incertum auctorem, cum omnium Romanarum rerum, tum praecipue in Graecia gestarum. Praeterea noster separatim fecit librum de bello Numantino, ut Cicero auctor est in bella epistola ad Lucceium V, 12 § 4.

STRATO.

Polybii aequalis, fortasse tamen paulo inferior natu est Strato, Laertio teste, ἱστορικὸς, Φιλίππου καὶ Περσέως, τῶν Ῥωμαίοις πολεμησάντων, γεγραφὼς πράξεις. Disputavit de eo Vossius de hist. Graec. lib. I cap. XX.

Q. FABIUS MAXIMUS SERVILIANUS.

Quintus Fabius Q. F. Q. N. Maximus Servilianus pontifex maximus, qui genus duxit a Q. Fabio Maximo Gurgite, praetor fuit a. u. c. 608, quo diruta Carthago est, consul, quantum videtur, cum L. Caecilio Metello Calvo anno 612, quo tempore magno cum exercitu adversus Viriathum profectus, nihil tamen memorabile gessit, neque illum in Lusitaniam abeuntem consequi potuit. Deinde sexto post consulatum anno censor fuit cum Q. Fulvio Nobiliore. Ut Servius Fabius Pictor, ita etiam hic Latine et annales, qui vocantur, et libros de iure pontificio composuit. Ad annales pertinere dixerim locum vulgo incertum habitum Prisciani VIII pag. 791, et verba a

fragmentorum collectoribus omissa interp. Angeli Maii ad Virg. Georg. III, 7. Sed Gellii locum lib. V cap. 4, ubi *Fabii* annales commemorantur, etsi ad Fabium Maximum referri potest, rectius tamen Servio Fabio Pictori tribuisse mihi videor. De dicendi genere, de quo nullum peculiare testimonium extat, sine dubitatione idem valet, quod de ceteris annalium confectoribus veteres scriptores Cicero et Gellius testati sunt. Tum auctoritas nullo modo videtur levis fuisse, cum, librorum de iure pontificio scriptor, doctissimus et antiquitatum peritissimus videri debeat. Sed quod demirere, idem fere huic accidit, quod L. Cassio Heminae, ut nec a Cicerone citaretur, nec ab ullo historico vetere nominatim auctor proferretur, nisi a Dionysio qui lib. I pag. 6 de fontibus suis locutus, brevem eius mentionem ita habuit: τὰ δὲ ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαῖοι συνέγραψαν, Πόρκιός τε Κάτων, καὶ Φάβιος Μάξιμος cet.

ANNALIUM LIB. I.

Fabius Maximus annalium primo: Tum Aeneas aegre patiebatur in eum devenisse agrum, macerrimum, litterosissimumque. *(Servius ad Aen. I, 3.)*

INCERTA.

Servilianus historiarum scriptor .... verit eburnum appellatum tradidit. *(Interp. Angeli Maii ad Virg. Georg. III, 7.)*

Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi maximi pri-

mum fierent *cet.* *(Cicero de divinat. I, 26. Vide Coelium.)*

Fabius Maximus: Amitti magis quam adipisci. *(Priscian. VIII p. 791 ed. Putsch. Lege:* apisci. *Etsi vulgo ad nostrum refertur, tamen Meyerus in fragmentis orator. Rom. p. 3 haec verba orationi Q. Fabii Maximi Cunctatoris tribuit.)*

PONTIFICII IURIS LIB. XII.

Sed et Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare: quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet. *(Macrob. Saturn. I, 16 med.)* [1])

C. FANNIUS.

Appellandus nunc est C. Fannius M. F. M. N. Quaestor is fuit Cn. Calpurnio Pisone, M. Popillio Laenate coss. a. u. c. 615, et biennio post praetor. Militavit in Africa sub Scipione Aemiliano, et sub Fabio Maximo Serviliano in Hispania. Patruelem autem habuit C. Fannium C. F., cum Domitio consulem a. 632, qui orator vulgo mediocris habitus, unam tamen orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum vel optimam reliquisse dicitur (cf. Cic. Brut.

1) Animadvertendum est, Macrobii hunc locum fragmentorum collectores ad Fabii Maximi libros *de iure pontificio* admodum probabiliter rettulisse. At non puto huius rei esse summam necessitatem; neque extat operis inscriptio.

c. 26; de orat. III, 47; Vellei. Paterc. II, 9 init.; Charis. lib. I p. 116 ed. Putsch.; Iulii Victoris ars rhetorica p. 51). Noster vero Fannius M. F., Gaiique Laelii sapientis gener (quod tamen ipsum addubitavit quondam Atticus: cf. Cic. ep. ad Att. XII, 5), Panaetii auditor, dicendi genere durior fuit, composuitque Latine historiam, ut Cicero ait (in Brut. cap. 26 extr.) „non ineleganter scriptam; quae neque nimis est infans, neque perfecte diserta.“ Sed de legibus l. I c. 2 Tullius exiliter scriptam historiam dicit. Sallustius autem in fragmentis historiarum, ut Catoni censorio brevitatem: ita veritatem Fannio tribuit (Sallust. ed. Haverc. tom. II p. 2). Alterum de praestantia huius historiae testimonium est, quod Brutus eam Cicerone auctore (ep. ad Att. XII, 5) in compendium redegit. Verumtamen cum noster a scriptoribus perraro commemoretur, ignoramus num res ab urbe condita perscripserit, an a Gracchorum rebus gestis vel aliunde quo historiam inceperit. Librum primum laudat Priscianus XIII p. 960 ubi, nisi locus ex oratione sumptus sit, disseruit fortasse de historiae utilitate ac praestantia, de qua plures scriptores veteres dixerunt (Sallust. Iug. c. 4 init.); Charisius cum incerto Virgilii interprete citat octavum; sed tamen Gracchorum tempora, quibus ipse vixit, uberius eum narrasse, etiam orationes, quod fecerat Cato censorius (cf. p. 97), in annales rettulisse, ex Ciceronis et Plutarchi testimoniis perspicuum est. Fortasse opus inscripsit annales, quos praeter Priscianum, Charisium, Virgiliique incertum interpretem nominat etiam Cicero in Brut. cap. 21, et de orat. II, 67, quamvis idem historiam appellet in Brut. cap. 26 et 87 et in ep. ad Att. XII, 5. Sed si annales inscripsit, facile eum ab urbis primordio incepisse dixe-

ris; quanquam eodem fere iure aliis de caussis opinari licet, Gracchorum modo aetatem annalibus historiisve descriptam fuisse. Denique addamus Meyeri verba, quae sunt in fragm. orat. Rom. p. 128: „Extabant autem non solum C. Gracchi orationes, sed etiam epistolarum liber usque ad Ciceronis tempora, quarum una in Ciceronis libris de divinatione 2, 29 (1, 18) allata est. Attamen probabile est, epistolas non editas fuisse a C. Graccho, sed a Fannio annalibus suis insertas, in quibus totam Gracchorum historiam narravit.“ Nos rem in medio relinquimus, ut incertam, quanquam non inauditam, cum etiam Claudius Quadrigarius Antiasque Valerius, ut de vetustis modo dicam historicis, annalibus suis epistolas incluserint: cf. Claudii fragm. lib. III et Valerii Antiatis fragm. incerta.

FRAGMENTA.

LIB. I.

C. Fannius in primo annalium: Cum in vita agenda didicimus multa, quae impraesentiarum bona videntur post inventa et multa amplius aliusmodi atque ante visa essent. *(Priscian. lib. XIII pag. 960 ed. Putsch.)*

LIB. VIII.

C. Fannius annalium octavo: Domina eius, ubi villam venerat, iubebat biber dari. *(Charisius lib. I: Biber, pag. 99 ed. Putsch.)*

C. Fannius in octavo annali Drepanum modo, modo Drepana appellat. *(Interp. Angeli Maii ad Virgil. Aeneid. III, 707.)*

INCERTA.

C. Fannius: Haec adipiscuntur: ἐπιτυγχάνονται. *(Priscian. VIII pag.* 791 *ed. P. Licet fragm: hoc nostro Fannio vulgo tribuatur, dubitari tamen potest, num ad alterum Fannium C. F. oratorem, cuius perpauca fragm. v. apud Meyerum p.* 109, *rectius referendum sit.)*

Ταχὺ δὲ τῶν νέων πάντων ἐπρώτευεν εὐταξίᾳ καὶ ἀνδρείᾳ· καὶ τοῦ γε τείχους ἐπέβη τῶν πολεμίων πρῶτος, ὥς φησι Φάννιος, λέγων καὶ αὐτὸς τῷ Τιβερίῳ συνεπιβῆναι καὶ συμμετασχεῖν ἐκείνης τῆς ἀριστείας. *(Plutarchus in Tib. Gracch. pag.* 826 *A ed. Franc. cap.* 4.*)*

Q. Metelli oratio contra Tiberium Gracchum exposita est in C. Fannii annalibus. *(Cicero in Brut. c.* 21 *§* 81.*)*

Quare εἴρωνα me, ne si Africanus quidem fuit, ut ait in historia sua C. Fannius, existimari velim. *(Cic. Brut. cap.* 87 *§* 299.*)*

In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse, et eum Graeco verbo appellat εἴρωνα. *(Cic. de orat. II,* 67 *§* 270.*)*

Aegre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus, scriptum apud Fannium est. *(Cic. Tuscul. IV,* 17 *§* 40.*)*

EPITOME BRUTI FANNIANA.

Et vide, quaeso, L. Libo, ille, qui de Ser. Galba, Censorinone et Manilio, an T. Quintio, M'. Acilio consulibus tribunus pl. fuerit. Conturbat enim me epitome Bruti Fanniana, an Bruti epitome Fannianorum: scripsi, quod erat in extremo: idque ego secu-

tus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii: sed tu me γεωμετρικῶς refelleras: te autem nunc Brutus et Fannius. Ego tamen de bono auctore, Hortensio sic acceperam, ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies. *(Cicero ep. ad Att. XII, 5.)*

VENNONIUS.

In censu historicorum veterum, quem instituit Cicero de legg. lib. I cap. 2 post Fannium nominatur Vennonius, a Dionysio IV p. 220 post Fabium Catonemque appellatus. Vita eius et scripta propter idoneorum testimoniorum penuriam non satis nobis cognita sunt; ignoramus ipsum praenomen, nec quicquam traditum est de librorum numero: fuit autem Fannii aequalis, resque gestas, quantum videtur, ab urbis primordio ad suam usque aetatem composuit, ac fortasse opus suum annalium nomine inscripsit, quanquam Cicero in ep. ad Att. XII, 3 vocat historiam. Deinde ut ex Ciceronis commemoratione intelligitur, usus est sermone patrio, sed exili dicendi genere, ut idem Tullius ait in lib. de legibus I c. 2, ubi de scriptoribus paulo severius iudicat, quam in Bruto. Difficile autem dictu fuerit, unde factum sit, ut tam pauca de nostro, aliisque nonnullis ad nostram memoriam pervenerint. Videtur tamen historia a vulgari narrandi dicendique ratione non ita abhorruisse, vel ita omnino comparata fuisse, ut rarius aliquem ad legendum invitaret. Quid? si in historicorum turba (cf. Livii praefat. init.), quae alios fortasse multos oblivione obruit, nomen eius vix cognitum fuit? De Romulo secutus est Fabium Pictorem. Sed de tri-

buum numero, qui Tullii temporibus fuerit, dissensit a Fabio et Catone, in eaque re Dionysio auctor videtur ἀξιοπιστότερος. Denique ex Ciceronis verbis, quae mox adiiciemus, fortasse non tam historiae praestantia, quam Ciceronis litterarum studium apparet: Cic. ep. ad Att. XII, 3: „Ac moleste fero, Vennonii me historiam non habere."

FRAGMENTA.

At vero Fabius Pictor lib. I et Vennonius solito institutoque egressam virginem, in usum sacrorum aquam petitum ex eo fonte *sqq. (Auctor lib. de orig. gent. Rom. cap.* 20 *init. Vide fragm. post Quinti Fabii Pictoris reliquias transscripta p.* 59.)

Ὡς δὲ Οὐενώνιος ἱστόρηκεν, εἰς μίαν καὶ τριάκοντα φυλὰς, ἀξιοπιστότερος ὢν, οὐχ ὁρίζει τῶν μοιρῶν τὸν ἀριθμόν. *(Dionysius lib. IV pag.* 220 *lin.* 5 *cap.* 15. *Cf. p.* 53 *et* 105.)

L. ATTIUS.

Sequitur L. Attius, poeta tragicus, de quo breviter licet dicere. Si recte ad hunc fragmenta annalium referuntur, quae Attii nomen habent, Romanorum res gestas carminibus descripsit, ut antea Naevius et Ennius, ac postea haud quidem pauci. Teste Hieronymo in chronico Eusebiano natus est A. Hostilio Mancino, A. Attilio Serrano consulibus, a. u. c. 584. Cf. Cic. Brut. c. 64.

LIB.

LIB. I.

Attius tamen masculinum hoc protulit annalium primo: Maia nemus retinens gravido concepit in alvo. *(Priscian. lib. V pag.* 654 *ed. Putsch:* alvus.*)*

LIB. XXVII.

Attius annalium vigesimo septimo: Calones famulique, metellique caculaeque. *(Festus in Metelli.)*

INCERTA.

Attius annalibus: Ut quam frugalissimus alvus. Et alius auctoritatis obscurae: Maia nemus retinens gravido concepit in alvo. *(Nonius: Alvus genere masculino.)* [1])

Attius in annalibus: ut quam frugalissimus alvus. *(Priscian. VI pag.* 718.*)*

Attius vero in annalibus: Fraxinus fissa ferox infensa infinditur ossis. *(Priscian. VI pag.* 710.*)*

— L. Attius in annalibus suis referat his versibus:

Maxima pars Graium Saturno et maxime Athenae
Conficiunt sacra, quae Cronia esse iterantur ab illis;
Eumque diem celebrant: per agros urbesque fere omnes
Exercent epulis laeti: famulosque procurant

1) Quae attulit verba Nonius: *Et alius auctoritatis obscurae* sqq. ea Priscianus Attii annalium libro primo vindicat. Nonii verba, ut arbitror, emendatione egent. An ista ab alio Attio profecta sunt? Cicero in Brut. c. 28 L. Attium poetam nominat.

Quisque suos: nostrique itidem; et mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.
(Macrob. Sat. lib. I cap. 7 extr.)

C. SEMPRONIUS TUDITANUS.

Duae fuerunt gentes Sempronniae, una patricia, cognomento Atratinorum, cuius post annum CCCD rara mentio est: plebeia altera, Longorum, Tuditanorum, Gracchorumque imaginibus longe clarissima: cf. Glandorp. Sigon. ad Liv. IV, 44. Ex ea est Gaius Sempronius Tuditanus, qui saepius confunditur cum Publio Sempronio Asellione. Consul fuit cum M'. Aquillio a. u. c. 625, rebusque adversus Illyrios Iapydes gestis triumphum meritus est: cf. Livii epit. lib. LIX extr. Porro vide Cic. ep. ad Att. XIII, 30 et 32. Tuditani huius filiam Sempronniam, socrum P. Clodii et uxorem Fulviam adversus Milonem (a. u. 702) ultimas testimonium dixisse (Asconio teste in argumento Milonianae sub finem), contendit Vossius in libro de historicis Latinis. Quodsi verum est, ut nostri Tuditani filia testimonium dixerit, eo tempore anus fuerit oportet. Missis annalibus Cicero in Bruti cap. 25 elegans Sempronii orationis genus praedicat, dicitque eum omni vita atque victu excultum atque expolitum fuisse. Γάϊος Σεμπρώνιος inter λογιωτάτους τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων cum Catone censorio refertur a Dionysio lib. I pag. 9 lin. 9; idemque videtur intelligendus esse lib. I pag. 11 lin. 13 ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ sqq. Scripsit res Romanas inde ab urbe condita, patrio, quantum suspicor, sermone usus, etsi

a Cicerone nec de orat. lib. II, 12 nec de legg. I cap. 2 commemoratur, deduxitque, nisi fallimur, historiam ad suam ferme aetatem. Namque Dionysio teste in prooemio de antiquissimis Italiae incolis disseruit, et Plinio auctore (H. N. lib. XIII. cap. 13) tertio decimo libro res attigit, quae incidunt in annum urbis 573. Quanquam de Pliniano illo loco dubitatio esse potest. Referri quidem propter numerum *(tertius decimus)*, nequit ad historiam Numae, sed videri forsitan possit spectare ad Tuditani libros magistratuum, quorum tertium laudat Macrobius in Saturnaliorum lib. I cap. 13, Gellius vero N. A. XIII c. 15 § 4 tertium decimum *(in commentario tertio decimo C. Tuditani)*, hoc est eundem plane librorum numerum, quem legimus apud Plinium. Ex ipso autem fragmento non potest satis certo evinci, utrum librum, annalesne an commentarium de magistratibus Plinius intellexisse videatur. Ceterum in tanta obscuritate de dicendi genere rerumque traditarum ubertate Tuditanum a reliquis annalium confectoribus non ita distulisse suspicamur. Maiorem autem verisimilitudinis speciem habet fides atque auctoritas, cum litterarum antiquarum admodum peritus etiam libros de magistratibus composuerit.

ANNALES.

Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος, καὶ ἄλλοι συχνοὶ, Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωικοῦ μεταναστάντας. *(Dionys.*

lib. I cap. 11 *pag.* 9 *ed. Sylb. Cf. frägm. ex Catonis Origg. lib. I, pag.* 104.)

Εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται. *(Dionysius lib. I cap.* 13 *pag.* 11 *ed. Sylburg. Cf. fragm. ex Catonis Origine prima pag.* 104.)

At vero Caesar et Sempronius aiunt, Caietae cognomen fuisse, non nomen, ex eo scilicet inditum, quod eius consilio impulsuque matres Troianae taedio longi navigii classem ibidem incenderint, Graeca scilicet appellatione ἀπὸ τοῦ καίειν, quod est incendere. Inde ad eam Italiae oram, quae ab arbusto eiusdem generis Laurens appellata est, Latino regnante, pervectum cum patre Anchise, filioque et ceteris suorum, navibus egressum, in litore accubuisse, consumptoque quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis quas sacratas secum habebat, comedisse. *(Auctor lib. de orig. gent. Rom. cap.* 10 *§* 4. *Etsi non diserte ab altero Sempronio distinguitur, tamen, cum Asellio de antiquis urbis temporibus scripsisse non videatur, nostro fragm. tribuendum putavi.)*

Harum originem quidam Romulo assignant: quem communicato regno cum T. Tatio sacrificiis et sodalitatibus institutis nundinas quoque adiecisse commemorant, sicut Tuditanus. *(Macrobius lib. I c.* 16.)

Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus, Liviusque noster: idem hic et Tuditanus adiiciunt, tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse; nomina duorum, qui primi creati sunt, haec traduntur, L. Sicinius L. F. Velutus, L. Iunius C. F. Paterculus. *(Ascon. Pedian. in Cic. Cornelianam de primis tribunis plebis, non longe*

a fine, ad Cic. verba: Tanta igitur in illis virtus fuit sqq. Cf. Livius II, 33.)

Quod satis celebre est de Attilio Regulo, id nuperrime legimus scriptum in Tuditani libris: Regulum captum, ad ea, quae in senatu Romae dixit, suadens, ne captivi cum Carthaginiensibus permutarentur, id quoque addidisse: venenum sibi Carthaginienses dedisse non praesentarium, sed eiusmodi quod mortem in diem proferret; eo consilio, ut viveret quidem tantisper quoad fieret permutatio, post autem, grassante sensim veneno, contabesceret. *(§ 4)* Tuditanus autem somno diu prohibitum, atque ita vita privatum refert; idque ubi Romae cognitum est, nobilissimos Poenorum captivos liberis Reguli a senatu deditos, et ab his in armario muricibus praefixo destitutos, eademque insomnia cruciatos interisse. *(Gellius lib. VI cap. 4 § 1 et 4.)*

Τό, τε τῶν χρημάτων πλῆθος οὐκ ὀλίγον ἦν· ὡς ἀναγράφουσιν οἱ περὶ τὸν Ἰτανὸν, ἐν τῷ Ῥωμαίῳ κομισθῆναι χρυσίου μὲν συγκεχωνευμένου λίτρας τριςχιλίας ἑπτακοσίας δέκα τρεῖς, ἀργύρου δὲ, τετρακισμυρίας τριςχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα, φιλιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους πεντακοσίους δεκατέσσαρας. χωρὶς δὲ τούτων, τὰ χίλια τάλαντα ἃ Φίλιππος ὤφειλε. *(Plutarch. in Flaminino cap. 14 pag. 377 B ed. Francof. Pro* Itano *scribendum esse* Tuditanum *iam alii recte viderunt.)*

MAGISTRATUUM LIB. III.

Tuditanus refert libro tertio magistratuum, decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. *(Macrobius Saturn. lib. I cap. 13 extr. Cf. fr. Heminae p. 160.)*

COMMENTARIUS XIII.

Praetor, etsi collega consulis est, neque praeterem, neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus, aut ante haec tempora servatum est: et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, maius habet consul: et a minore imperio maius aut maior collega rogari iure non potest. *(Gellius XIII*, 15 § 4. *Sunt verba M. Messalae auguris ex primo de auspiciis libro.)*

INCERTA.

LIB. XIII.

Hoc idem tradit L. *(vulgo C.)* Piso censorius primo commentariorum: sed libros septem iuris pontificii, totidemque Pythagoricos fuisse. Tuditanus decimo tertio *(tertio decimo?)*, Numae decretorum fuisse. *(Plin. XIII*, 13. *Cf. fragm. Cassii pag.* 163 *et L. Pisonis et Valerii Antiatis cum Liv. XL*, 29. *Incidit in a. u. c.* 573.*)*

L. COELIUS ANTIPATER [1]).

Ex copia scriptorum eorum, quos tulit Gracchorum aetas, eminet prae ceteris nobilissimus historicus Lucius Coelius, quem Cicero in Bruto (c. 26) post

1) De L. Coelio Antipatro copiose disseruerunt Bavius Antonius Nauta et Guilielmus Groen van Prinsterer. Utriusque commentatio legitur in annalibus Academiae Lugduno-Batavae anni 1821.

C. Fannium et ante L. Pisonem (c. 27) recenset, in I de legg. lib. c. 2 et de orat. lib. II c. 12 Pisone Fannioque iam commemoratis. Is quanquam dicitur Graeco cognomine Antipater, non fuit tamen homo Graecus, Coelii cuiusdam libertus, sed procul dubio homo Romanus habendus est, ex libertino fortasse ordine oriundus, cum et orator fuerit, iurisque valde peritus (Cic. in Brut. cap. 26 extr.), et Nepote teste ante L. Otacilium Pilitum nemo libertinorum historiam scribere agressus sit: cf. Sueton. de clar. rhetor. cap. 3. Gracchorum aequalis est (Cic. de divin. I, 26; Valer. Max. I, 7), coniunctus aetati Fannii (Cic. de legg. I, 2), Sisenna vetustior (Vellei. II, 9), multorumque, ut familiaris L. Crassi (a. 613 nati) magister (Cic. Brut. c. 26 extr. de orat. II, 12 § 54). Denique Pomponius ita dicit de origine iuris l. 2 § 40: „Ab his profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae consul *(anno 649)*, et Asiae proconsul fuit, Aulus Virginius et Quintus Tubero ille Stoicus, Panaetii auditor, qui et ipse consul. Etiam Sextus Pompeius, Cn. Pompeii patruus, fuit eodem tempore; et Coelius Antipater, qui historias conscripsit: sed plus eloquentiae, quam scientiae iuris operam dedit.“ Vixit igitur ab exeunte u. c. sexto saeculo usque ad medium septimum. Lucius enim Coelius ille, qui anno 585 legatus Illyrico praeerat, ab historico Antipatro diversus est. Pro Coelio noster saepius videtur perperam Caecilius nominari, ut, quae ei recte tribuenda fragmenta sint, interdum dictu difficile sit: idque nomen nonnunquam legitur in fragmentis iis, quae collectores nostro vindicarunt. Fuit autem Augusti tempore Caecilius ὁ ῥήτωρ, ὁ ἀπὸ Καλῆς Ἀκτῆς, qui Athenaeo teste σύγγραμμα ἐκδέδωκε περὶ τῶν δουλικῶν πολέμων, de quo disseruit Vossius de histor. Graec. lib. II c. 4.

Sed locus apud Strabonem lib. V pag. 230 D. edit. Casaub. Paris. a. 1620 (al. pag. 159): Καὶ ὁ Καικίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεύς, τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ Ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην, τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν Ἑλληνικὴν εἶναι τῷ Ἡρακλεῖ hic inquam locus, num cum Vossio de histor. Latin. lib. I cap. 8 de Caecilio rhetore, an de nostro L. Coelio aliove etiam intelligendus sit, in medio relinquo, praesertim cum noster quidem, nisi forte tanquam in transitu, de antiquissimis urbis temporibus non disseruerit. Condidit autem Latine annales, qui dicuntur a Nonio ac Prisciano, sive historias, quas vocant Gellius, Charisius et Servius, easque misit ad Lucium [2]) Aelium Stilonem sive Praeconium (Sueton. de illustr. gramm. cap. 3; Cic. Brut. c. 56). Descripsit bellum Punicum, ut ait Cicero, sed sine dubitatione omnia tria, videturque septem libris, tot enim laudantur, ad Gracchorum, hoc est ad sua tempora historiam deduxisse. Nam quod Livius eum nisi in rebus secundo bello Punico gestis auctorem non exhibet: non est inde coniiciendum, quae ad Gracchorum aetatem pertinent (Cic. de div. I, 24; Valer. Max. I, 7 § 6; Plin. II, 67; Charis. I p. 112), in Punicorum bellorum descriptione comprehensa fuisse [3]). Difficilior autem

2) In Cic. orat. cap. 69 lego *a L. Aelio* pro vulgata scriptura *a Laelio*. De hoc Aelio crebra mentio cum laude apud Ciceronem. Cf. etiam Harduinus in indice auctorum in Plin. Eidem L. Aelio Lucilius poema dedicavit: cf. auct. ad Herenn. IV, 12.

3) Cicero in Orat. c. 69: *L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici.* Sed haud dubie tria bella Punica descripsit; quae cum maximam et gravissimam libri partem continerent, factum est, ut, licet etiam insecuta tempora narrarit, a Cicerone

res est ad iudicandum, num fragmenta ad antiquissimam urbis aetatem spectantia Lucio nostro Coelio iure tribuantur. Quanquam in tanta rei obscuritate, quae mihi quidem videtur esse, cum certissima testimonia desint, ceteros fragmentorum collectores sequendum et eiusmodi locos cum Antipatri reliquiis transcribendos duxi: cf. fragm. incerta: Serv. Aen. X, 145; Solin. c. 2 et 8. Quanquam Servio teste ad Georg. II, 197 *Coelius,* qui dicitur, eiusmodi res antiquas quinto annalium libro memoravit; cf. frag. incerta, Serv. ad Aen. III, 402, ubi iterum noster forsitan in antiqua tempora expatiatus sit. Sed tamen in his rebus a Dionysio auctor non nominatur, nec ullo loco a Plutarcho, quod quidem alterum mirabile videri debet. Deinde uberius scriptam nec inutilem historiam veteribus visam fuisse, vel inde apparere arbitror, quod Brutus eam in compendium redegit, sive ut omnino praestans historia nimiumque copiosa extaret brevior, sive, quod aliqui suspicantur, ut minus iucundae de antiquis temporibus degressiones tol-

---

tamen hoc nomine historiae appellarentur. Quanquam sunt, qui opus de secundo solum bello Punico scriptum aiant; narrationes de Gracchorum aetate cet. nihil esse, nisi degressiones. Iidem de secundo tantum bello Coelium scripsisse inde colligunt, quod in eo solum a Livio auctor nominatur, quodque ex primo historiarum libro de Barca, de Saguntinis, de Sempronio nonnulla afferuntur. Ita etiam Nauta ac Prinsterer statuunt, habetque saltem magnam verisimilitudinis speciem. At ne dicam de tot degressionibus, quae concedi vix possunt, Gellius X, 1 § 3: — *tertio et quarto consul, non tertium quartumque: idque in principio libri Coelium scripsisse.* Ad initium secundi belli Punici spectare nequit: refero ad bellum primum, ad a. u. 489, quo consules erant Q. Fabius Maximus Gurges III, Q. Mamilius Vitulus. Primum bellum Punicum sane brevius descripserit.

lerentur. Scribit autem Cicero in ep. ad Atticum XIII, 8: „Epitomen Bruti Coelianorum velim mihi mittas.“ Pari modo Polybii et Fannii historiarum epitomas Brutus fecit: Cic. ep. ad Att. XII, 5; Plutarch. in Brut. cap. 4. Iam vero ut dicatur de eius fide, a Valerio Maximo lib. I cap. 7 non iniuria certus Romanae historiae auctor dicitur. Deinde aliis praetermissis auctores habuit Silenum Calactinum Catonemque censorium. Ac de Sileno quidem Cicero de divinat. lib. I cap. 24: „Hoc idem in Sileni, quem Coelius sequitur, Graeca historia est.“ De altero Catone testes sunt Gellius X, 24 § 7 atque Macrobius in Saturn. I cap. 4 extr. qui et verbum et historiam ex Originibus desumptam esse dicant. Porro noster adhibuit M. Fulvii Nobilioris fastos, ut perspicitur ex Charisio lib. I p. 112: *Publicatos quippe fastos omnes, et libros a Fulvio Nobiliori scripta rettulisse:* cf. fragm. incerta. Neque hic praetermittendus est locus Prisciani lib. VIII p. 792, unde, dummodo nostro scriptori recte tribuatur, criticum eum fuisse appareat: *Ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur:* cf. fr. inc. init. Secutus nostrum videri potest Claudius Quadrigarius, qui Gellio teste (XVII, 2 § 4) eadem verba in annalibus scripserit, quae Nonius (in *copiantur*) ex Coelii historiis affert. Verum libentius in Nonii corruptissimo libro, qui suum editorem expectat, Claudium pro Coelio scripserim. Etiam quae Nonius habet s. v. *subnixum*, *frunisci*, *illatebrare*, non Coelio, sed Claudio, Gellio teste XVII, 2 vindicanda sunt: vide Coelii fragm. librum I p. 191. Tum Livius Coelium plurimi aestimavit: namque lib. XXIII cap. 6 extr. ait: „Quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Coeliusque et alii id, haud sine caussa, praetermiserant scriptores, ponere

pro certo sum veritus.“ Et lib. XXI cap. 46 extr. et c. 47 med., ubi Coelius a pluribus auctoribus dissentit, Livius eum non negligendum arbitratus est; ac fortasse contra Livium Antipater recte rettulit, cum idem fateatur Zonaras lib. VIII cap. 2. Praeterea diligentiae et religiositatis iudiciique Coeliani testis esse potest locus apud Liv. lib. XXVII cap. 27 extr.: „Ut omittam alios, L. Coelius triplicem rei gestae ordinem edit; unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuerit; tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert.“ Sed XXI, 38 non recte eum videtur reiecisse Livius de Hannibale trans Alpes transgresso dicens, quod cum Polybio eius rei optimo iudice consentit. Etiam itineris longitudinem a Carthagine nova usque ad Italiam, ita fere ut Polybius computavit. Polybius enim III cap. 39 imprimis § 11: ὥςτ' εἶναι τοὺς πάντας ἐκ Καινῆς πόλεως σταδίους περὶ ἐννακισχιλίους, οὓς ἔδει διελθεῖν αὐτόν. Coelius autem libro primo apud Charisium lib. II pag. 182 habet: *duodeciens centena milia passuum.* Atque accurate nostrum de Alpibus disseruisse, secutum, opinor, Polybianas historias, intelligitur ex Plinii lib. III cap. 19. Porro Livius XXII, 31 extr. Coelium aliosque non satis diligenter tradidisse ait, et XXIX cap. 25 et 27 animum eius ad res admirabiles enarrandas pronum esse significat. Vix tamen propter ea dixerim, quod quidam animadvertisse sibi visus est, in rebus tradendis Coelium consuesse poetica ornamenta adhibere. Etiam aliis locis permultis, ut XXII cap. 5. 6. 11. 12, Livius Antipatrum ut bonum auctorem consultasse putandus est. Denique in rebus sua aetate gestis locupletior etiam videtur testis fuisse, siquidem hoc vel illud se ipsum vidisse interdum admonuit: cf. Plin.

II. N. II, 67; Capella lib. VI med.; Cic. de divinat. cap. 26; Valer. Max. I, 7; cf. fragm. incerta. De dicendi genere extant testimonia non minus diserta, imprimisque Ciceronis, qui ait in Bruti cap. 26 extr.: „L. Coelius Antipater, scriptor, quemadmodum videtis, fuit ut temporibus illis luculentus.“ Ac luculentum illud eorum, qui supersunt, maxime quadrat in Sallustium, quem paucis multa absolvisse ipsi veteres fatentur. Deinde de legg. I, 2: „Fannii aetati coniunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent.“ De oratore lib. II c. 12 extr. et 13 princ.: „Paululum se erexit et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt. Est, inquit Catulus, ut dicis. Sed iste ipse Coelius neque distinxit, historiam varietate locorum, neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores.“ Cic. orat. cap. 69 init.: „Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut verba traiiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio: quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil celet: sapientem, qui serviendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis.“ Sed cum verborum traiectione ista in homine dicti maxime studioso coniuncta est orationis quaedam dignitas, qua Coelius vetustis verbis usus Cicerone teste (de orat. III, 38) excelluit. Fa-

ctum est autem propter dicendi genus, ut Quintilianus, Festus, Charisius, Prisciarius, Nonius, Caper grammatici plura ex Coelii quam aliorum multorum annalibus servarint. Nec solum Ciceroni Antipater ceteris praestantior visus est, sed etiam doctissimus Hadrianus, veterum ut ferebant tempora admirator, Coelium Sallustio praetulit, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium: cf. Spartianus in Hadr. cap. 16. Ceterum incertorum fragmentorum non videtur mihi facile posse quicquam ad certum aliquem librum referri, cum, quae in singulis libris narrata fuerint, propter testimoniorum eorumque minus disertorum paucitatem nesciamus. Denique ut huius disputationis finem faciam, quod a Charisio Coelianorum vocabulorum interpres Paulus affertur [4]), suspicari facile possis, Paulum istum de Coelianis historiis commentarium conscripsisse, nisi forte rectius locum aliquem annalium obiter tantum explicavit, ut Probum in Valerii Antiatis historiis fecisse novimus: cf. Gell. VII, 9 § 12 fragm. Valerii Antiatis lib. XII. De Statilio Maximo, Catonis Originum, ut volunt, explicatore cf. pag. 92.

4) Charis. lib. I p. 115 ed. Putsch.: „Saguntinorum, Coelius; Saguntium, Sallustius; ut Paulus in Coelii historia libro primo notat.“ Charis. lib. II. pag. 193: „Coelius historiarum primo: Commodum esse satis videtur. Nec enim pro sufficienti, inquit Paulus, accipi debet, sed pro pari et aequo.“ Adde Charis. II p. 214: „Spataro, Afranius in Aequalibus, quam vocem frequenter apud eum positam, ait Paulus ἐξουθενισμοῦ vim sensumque sufferre.“

FRAGMENTA.

LIB. I.

Ne aut verba traiiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio: quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil celet: sapientem, qui serviendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis. Nobis autem in scribendo, atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur: nihil est enim necesse: et, si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc a L. Aelio, ad quem scripsit, cui se purgat, veniam petit, et utitur ea traiectione verborum, et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias. *(Cic. in oratore c.* 69.*)*

— tertio et quarto consul, non tertium quartumque: idque in principio libri Coelium scripsisse. *(Gellius X,* 1 § 3.*)*

Coelius in annalium libro primo: Legati quo missi sunt veniunt, dedicant mandata. *(Non. dedicare est dicere.)*

Coelius annali libro primo: Cum iure sine periculo bellum geri poteratur. *(Nonius: poteratur pro poterat.)*

Coelius in primo: Qui cum iis ita foedus icitis. *(Prisc. X. p.* 886 *ed. P.)*

Coelius in I: Neque ipsi eos alii modi esse, atque Hamilcar dixit, ostendere possunt aliter. *(Prisc. XIII p.* 960 *ed. P.)*

Coelius in I: Antequam Barca perierat, alii rei caussa in Africam est missus. *(Prisc. XIII p.* 960 *ed. Putsch.)*

Coelius in primo: Qui intelligunt, quid faciant, dissentiuntur. *(Prisc. VIII p.* 801 *ed. Putsch.)*

Coelius historiarum primo: Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit, visere locum ubi exercitum exponat. *(Charis. II p.* 183.*)*

Coelius historiarum primo: Duodeciens centena milia passuum longe. *(Charis. lib. II p.* 182 *ed. P. coll. Polyb. III,* 39.*)*

Coelius historiarum primo: Commodum esse satis videtur. *(Charis. II p.* 193 *ed. P.)*

Saguntinorum: Coelius. *(Charis. I p.* 115 *ed. Putsch.)*

Coelius in primo historiarum: Dextimos in dextris scuta iubet habere. *(Prisc. III p.* 607 *ed. P.)*

Coelius lib. I: Armis et magno commeatu, et praeda ingenti copiantur. *(Non. copiantur. Nonius corruptus est. Recte Gell. XVII,* 2 *§* 9 *locum vindicat Claudio.)*

Coelius lib. I: Domus suas quemque ire iubet, et sua omnia frunisci. *(Non. frunisci. Nonii locus corruptus est; rectius Gellius XVII,* 2 *§* 5 *fragm. tribuit Claudio Quadrigario.)*

Coelius annal. lib. I: Arma plerique abiiciunt, atque inermis in latebras se illatebrant. *(Nonius: illatebrare. Non. corruptus est; Gellius XVII,* 2 *§* 3 *recte tribuit Claudio.)*

Coelius annali lib. I: Et Latini subnixo animo ex victoria inerti consilium ineunt. *(Nonius: subnixum.)* [1])

---

1) Gellius XVII, 2 § 4 ex Claudii Quadrigarii libro primo refert: *Ea dum fiunt, Latini subnixo animo.* Nonii locus spectat ad Claudium; neque enim cadit in bellum Punicum, sed pertinet fortasse ad Liv. VIII, 3.

Coelius annali libro I: Primum malo publico gratiae singulatim nomina. *(Nonius: singulatim.)*

LIB. II.

Suppetit Coelianum illud ex libro historiarum secundo: Si vis mihi equitatum dare, et ipse cum cetero exercitu me sequi; die quinti Romae in capitolium carabo tibi coena sit cocta. *(Gell. X cap. 24 § 6; Macrob. I, 4 extr. Cf. Cat. Origg. lib. IV pag.* 110.*)*

LIB. III.

Coelius annal. lib. III: Imperator conclamat de [illegible], ut velites e sinistro cornu removeantur, Gallis [illegible] dubitatim imittantur. *(Non. dubitatim.)*

Coelius libro tertio seri avenam ostendit. *(Serv. ad Virg. Georg. I, 77.)*

LIB. IV.

Coelius in quarto: Custodibus discessis multi interficiuntur. *(Prisc. lib. IX pag.* 869 *ed. Putsch.)*

LIB. V.

Caecilius in quinto: Morbosum factum, ut ea quae oportuerint, facta non sint. *(Priscian. VIII p.* 827 *ed. P. ubi lege Coelius.)*

Idem *(Coelius)* in V: Nullius alius rei nisi amicitiae eorum caussa. *(Prisc. XIII p.* 960 *ed. P.)*

Coelius annal. lib. V: At aliquam huic bello finem facere. *(Non. finis feminin.)*

Item Saturi locus Tarenti, quem Coelius in quinto libro historiarum dicit nomen accepisse a Satura puella, quam Neptunus compressit. *(Serv. ad Georg. II,* 197.*)*

LIB.

LIB. VI.

Coelius annal. lib. VI: Consulto non paucies arcessitum. *(Nonius: paucies.)*

Coelius annal. lib. VI: Omnes simul terram cum classi accedunt; navibus atque scaphis egrediuntur, castra metati signa statuunt. *(Nonius: metari.)*

LIB. VII.

Coelius Antipater lib. VII: Res publica amissa, exfundato pulcherrimo oppido. *(Nonius: exfundare.)*

Coelius annal. lib. VII: Duos et septuaginta licloris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. *(Nonius: soluerit pro solitus sit.)*

Coelius annal. lib. VII: Ipse regis eminus equo ferit pectus advorsum, congenuclat percussus, deiecit dominum. *(Nonius: congenuclare.)*

Sic Coelius libro septimo: Ita uti sese quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae rei publicae, eadem re gesta, topper nihilo minore negotio acto, gratia minor esset. *(Festus: topper, fortasse: etiam cito, ut Graecum ταχά.)*

Ut Coelius in septimo: Consuetudine uxoris, indulgitate liberum. *(Philargyrius ad Virg. Georg. II, 345.)*

INCERTA.

Coelius: ex scriptis eorum, qui veri arbitrantur: passive: ὑπολαμβάνονται. *(Priscian. VIII p. 792 ed. Putsch. Dubitat Meyerus in fragm. orat. Rom. p. 198 num hic locus historico nostro an M. Coelio Rufo oratori sit vindicandus. Probabilius, opinor, tribuitur Antipatro.)*

Lucius Coelius: Ubi senatus intellexit populum depeculari: ἀποσυλοῦσθαι. *(Priscian. VIII p. 793.)*

Caecilius: Nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi spatio datas arbitror quam vobis. *(Priscian. VI p. 678. Ita etiam: ullae, solae, totae, aliae, alterae, unae. Sed dicitur apud Putsch. Caecilius.)* [1])

Caecilius: Tantum bellum suscitare conati adversarios contra bellosum genus. *(Nonius: bellosus. Dicitur tamen Caecilius.)*

Coelius: A navi ipse cum cetera copia pedetentim sequitur. *(Nonius: pedetentim. Ed. Merc. Vulgo ref. ad lib. sextum.)*

Coelius tamen ait per i: Publicatos quippe fastos omnes, et libros a Fulvio Nobiliori scripta *(scriptos?)* rettulisse. *(Charis. I pag. 112. Nobiliore.)*

Nucerum enim Coelius dicit. *(Charis. I p. 40 ed. P. Estne Coelius orator?)*

Dii pro die seu diei Lucani. — — idque in Coelii historia deprehendes. *(Charis. II pag. 101 ed. P.)*

Subinde. Nepos de illustribus viris lib. II, sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt. *(Charis. II pag. 195. Quaeritur, num sit orator.)*

Ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur; ideo-

---

1) Si recte locus Coelio nostro tribueretur, ut Catonem, Fannium aliosque, ita hunc quoque orationes in annalibus inclusisse dicerem. Sed mihi illi fere loci, ubi Caecilii nomen transscripsi, Coelio nostro historico videntur abrogandi esse. De hoc autem fragmento Ruhnkenio puto assentiendum, qui ad Vellei. lib. II cap. 68 pag. 297 ex oratione M. Coelii Rufi ad Quiritea sumptum dicit. Ellendtius in prolegom. ad Cic. Brutum tribuit concioni de aquis ad populum.

que apud Coelium legimus: Pelia cincinnatus. *(Quintil. I, 5 § 60.)*

Parricidatum *(nemo in nobis ferat)* quod in Coelio vix tolerabile videtur. *(Quintil. I, 6 § 42. Uterque locus Quintiliani Coelio historico facile derogari potest, tribuique rectius videtur Coelio Rufo Ciceronis aequali.)*

Coelius historiarum: Delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere. *(Serv. ad Aen. IV, 390.)*

Coelius: Maurusii, qui iuxta Oceanum colant. *(Serv. ad Aen. lib. IV vers. 206.)*

Coelius enim de Cumano Apolline ait: Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV. *(Serv. ad Aen. VI vers. 9.)*

Licet Coelius et Varro calvariam dicant. *(Velius Longus de orthographia p. 2243 ed. Putsch.)* [2])

Inusitata sunt prisca fere ac vetusta et ab usu cotidiani sermonis iamdiu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora, quam nostrae: sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius: Qua tempestate Poenus in Italiam venit. *(Cicero de orat. III, 38 § 153.)*

Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre vellet, dubitaretque utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse: cumque solidam invenisset,

---

2) Pro certo affirmari nequit, num hic locus cum aliis paucis ex Antipatri historiis sumptus sit, an in eorum numero ponendus, qui vulgo nostri Coelii habiti rectius ei nunc abroganter. Si est scriptoris nostri, quaeritur, num pertineat ad historiam, quam de Postumio Boiisque Cn. Gellius lib. XXXIII tradidit, et Livius lib. XXIII cap. 24. Cf. p. 205.

statuissetque tollere, ei secundum quietem visum esse Iuponem praedicere, ne id faceret, minarique, si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret: idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, et eam in summa columna collocavisse. *(Cicero de divinat. I cap. 24 § 48.)*

Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent, cumque iam populus consedisset, servus per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, praesulem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare; illum non ausum. Iterum esse idem iussum, et monitum ne vim suam experiri vellet; ne tum quidem esse ausum. Exin filium eius esse mortuum: eandem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum; cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est. C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Coelium est, sibi in somnis quaesturam petenti Tib. fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc, antequam tribunus plebis C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Coelius, et dixisse multis. *(Cicero de divinat. lib I cap. 26 coll. Liv. II, 36.)*

Gaio autem Gracchо imminentis casus atrocitas palam atque aperte per quietem denuntiata est. Somno enim pressus, Tiberii Gracchi fratris effigiem vidit, dicentis sibi: Nulla ratione eum vitare posse, ut eo fato non periret, quo ipse propulsus e capitolio occidisset. Id ex Graccho prius, quam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, multi audiverunt. Coelius etiam, certus Romanae historiae auctor, sermonem de ea re ad suas aures, illo adhuc vivo, pervenisse scribit. *(Valerius Maximus I, 7.)*

Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum proelium fieret, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factae sint, terraeque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit. *(Cicero de divinat. lib. I cap. 35 extr. coll. Liv. XXII, 5 extr. Plut. Fab. p. 175. Plin. II, 84. Oros. IV, 14. Sil. Ital. V, 611. Flor. II, 6, 14.)*

Coelius per Cremonis iugum dicit *(Hannibalem)* transisse. *(Livius XXI, 38 extr.)*

Servati consulis *(P. Scipionis)* decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat: malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit. *(Livius XXI, 46 extr. Cfr. Zonaras VIII, 2. De proelio ad Ticinum.)*

Coelius auctor est, Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse, ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse, elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. *(Livius XXI, 47 med.)*

Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt. Coelius

etiam, cum primum a populo creatum dictatorem scribit. Sed et Coelium et ceteros fugit, uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris. *(Livius XXII, 31.)*

Coelius Romam euntem ab Ereto divertisse eo Hannibalem tradit, iterque eius ab Reate, Cutiliisque, et ab Amiterno orditur. Ex Campania in Samnium: inde in Pelignos pervenisse; praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse: inde Albensi agro in Marsos: hinc Amiternum Forulosque vicum venisse. *(Livius XXVI, 11 extr.)*

Mors Marcelli cum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro aetate, maior iam enim sexaginta annis erat, neque pro veteris prudentia ducis, tam improvide se collegamque, et prope totam rem publicam in praeceps dederat. Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exequi velim. Ut omittam alios, L. Coelius triplicem rei gestae ordinem edit: unam traditam fama; alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuerit; tertiam, quam ipse pro inquisita ac sibi comperta affert. Ceterum ita fama variat, ut tamen plerique loci speculandi caussa castris egressum; omnes insidiis circumventum tradant. *(Livius XXVII, 27 extr.)*

Eisdem diebus naves onerarias Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciae praeerat, captas, Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem perportantes, tradit. *(Livius XXVIII, 46. extr.)*

Quantum militum in Africam transportatum sit *(a P. Scipione)*, non parvo numero inter auctores

discrepat. Alibi decem millia peditum, duo millia et ducentos equites; alibi sedecim millia peditum, mille et sexcentos equites; alibi parte plus dimidia rem auctam, quinque et triginta millia peditum equitumque in naves impositа invenio. Quidam non adiecere numerum: inter quos me ipse in re dubia poni malim. Coelius, ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium, aut in Italia, aut in Sicilia relinqui videretur. *(Livius XXIX, 25 init.)*

Prosperam navigationem *(Scipioni)* sine terrore ac tumultu fuisse, permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi. Coelius unus, praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes coelestes maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit: et, prope obrutis navibus, iniussu imperatoris, scaphis, haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse. *(Livius XXIX, 27 extr.)*

Duos eosdem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis interfectos, non omnes auctores sunt: veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt. *(Livius XXIX, 35 prius.)*

Praeterea Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quendam sua aetate, cum Lathurum regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usque pervectum: multoque ante eum Coelius Antipater, vidisse se, qui navigasset ex Hispania in Aethiopiam commercii gratia. *(Plin. H. N. II, 67.)*

Coelius Antipater se hominem vidisse confirmat,

qui negotiationis ardore in Aethiopiam ex Hispania navigasset. *(Martianus Capella lib. VI fere medio, pag. 201 Grot.)*

Alpes in longitudinem decem milia passuum patere a supero mari ad inferum Coelius tradit. *(Plinius H. N. III, 19.)*

Antipater auctor est, duos *(elephantos)* Antiocho regi in bellicis usibus, celebres etiam cognominibus, fuisse; etiam novere ea. Certe Cato, cum imperatorum nomina annalibus detraxerit *cet. (Plinius VIII, 5. Antipatri alius librum περὶ ζώων intelligit Vossius de hist. Graec. lib. III s. v. Antip.)*

Coelius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere. *(Plinius XXXI, 2.)*

Coeliusque Troianum Capyn condidisse Capuam tradidit, eumque Aeneae fuisse sobrinum. *(Serv. Aen. X, 145. Cf. Liv. IV, 37. Sueton. in Caes. c. 81. Libenter locum nostro Coelio derogarim, quanquam omnia eiusmodi de antiquis temporibus tradita everrere non licet.)*

Alii subnixam ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait. *(Serv. Aen. III, 402.)* [3])

Lucius Caesar: Certaeque res augurantur. *(Priscian. tom. I p. 368. Disceptari potest, sitne Iulius Caesar an Lucius Coelius noster an alius quis intelligendus. Vulgo omitt.)*

---

3) Perperam huc ad Coelium Havercampius, non Cortius et Frotscherus, hunc Tuberonis locum rettulit: Serv. Aen. II, 15: (Equus Troianus) *machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, ut aries et testudo, quibus muri vel discuti vel subrui solent.*

... lius historiarum .... *(Festus in ocius. Vulgo omitt. In ed. Dacier. refertur ad Coelium.)*

Coelius: Mean.... factum meandro duplici.... lana: est qualis a Melibea .... ut velum .... *(Interp. Maii ad Aen. V, 251. Vulg. omitt.)*

Qui Cacus habitavit locum cui Salinae nomen est, ubi Trigemina nunc porta. Hic, ut Coelius tradit, cum a Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat Marsyae regis, socio Megala Phryge, custodiae foret datus, frustratus vinculo, unde venerat, rediit: et praesidiis amplioribus occupato circa Vulturum et Campaniam regno, dum etiam ea attrectare auderet, quae concesserant in Areadum iura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est: et Megalen Sabini receperunt, disciplinam augurandi ab eo edocti. *(Solinus cap. 2. Vulgo omitt. Sed fortasse rectius vet. cod. habet* Gellius. *Vide editionem Camertii.)*

C. Coelius Oetae treis filias Angitiam, Medeam et Circen dicit fuisse: Circen Circaeos insedisse montis, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem: Angitiam vicina Fucino occupavisse, ibique salubri scientia adversus morbos resistentem, cum desisset hominem vivere, deam habitam: Medeam ab Iasone Buthroti sepultam, filiumque eius Marsis imperasse. *(Solinus cap. 8.)* [4])

4) Praeterquam quod propter rem ipsam traditam dubitarim, num hic locus cum aliis similibus recte ad nostrum referatur, etiam Gaius Coelius, non Lucius auctor dicitur. Quanquam praenomen sine religionis sollicitudine possis corrigere. Vulgo autem hic quoque locus omittitur, quod moneo, cum de eo dubitandum censeam. Legendum fortasse *Cn. Gellius.*

CN. GELLIUS.

Eodem tempore Cicerone et Dionysio testibus Gnaeus Gellius floruit, qui permagno, ut videtur, opere historias ab orgine urbis repetivit. Esse eum eundem Cn. Gellium, contra quem Cato pro L. Turio dixit, verisimilitudinis certe aliquam speciem habet: cf. Gell. N. A. XIV, 2 § 21; XXI, 26; Nonius s. v. Plevitatem. Tum probabile admodum est, fabulas nostrum ante urbem conditam enarrasse: secundo enim libro de raptu Sabinarum, tertio de T. Tatio locutus est, quae Livius habet in primo. Quintodecimo annali dixit de urbis excidio, facto a Gallis, quo de egit Livius lib. V cap. 36; trigesimo autem tertio de Punico bello secundo, quod ex Livii contentione XXIII, 24 perspicitur; tum de anno urbis 608 disseruit auctore Censorino, librumque XCVII, si verus numerus est, citat Charisius, ut etiam sua tempora latius descripsisse videatur, quamvis ex librorum numero in rerum traditarum ubertatem coniectura satis certa fieri non queat. A Sabo Sabinos appellatos esse, noster secundum Servii auctoritatem ad Aen. VIII, 638, ut Cato (sed cf. Dionys. II pag. 112 extr. cap. 49) rettulit, ea in re hunc fortasse auctorem secutus. Livius, qui in scribendo festinavit, nec satis diligenter religioseque auctorum testimonia ponderavit, Gellium nostrum si non plane neglexit, at rarius adhibuit; idemque dixerim de Plutarcho, qui nusquam ad eius auctoritatem provocavit. Deinde Dionysius (ubique, opinor, intelligens Gnaeum, quem vocat II p. 100 et p. 136) Gellium ait II p. 100 a ceteris dissentientem quarto, non primo Romuli regnantis anno Sabinas virgines raptas tradidisse, eique

assentitur; lib. VI p. 349 et lib. VII pag. 417 nostrum cum Licinio aliisque Romanis scriptoribus nullam temporis rationem habuisse contendit; lib. II p. 136 solum eum auctorem affert a ceteris discrepantem, et lib. IV p. 211 iterum Gellium de annorum numero nominat, sed ita nominat, ut de auctoritatum diversitate nihil iudicet. Quemadmodum autem in temporibus perscrutandis ac definiendis scriptorem nostrum accuratum fuisse cognoscimus: ita etiam res antiquitatis proprias studiose indagavit atque perscripsit: cf. Dionys. II p. 131; Plin. VII, 56 bis; Macrob. Sat. I, 8; I, 16; II, 13; Serv. ad Aen. VIII, 638; Censorinus cap. 17 ubi cum L. Pisone censorio gravi auctore, Lucioque Cassio Hemina consentit; apud Macrob. I, 16 facit cum Cassio Hemina. Fuerit sane interdum ὑπερκριτικὸς, at diligentia eius religiositasque apparet. Sermoni contra minus fortasse studuit, cum nec grammatici multa exhibeant, et Cicero de legg. I, 2 dicat de Gellis, Clodioque et Asellione: „nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam.“

FRAGMENTA.

LIB. II.

Ταῦτα δὲ γενέσθαι τινὲς μὲν γράφουσι κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς Ῥωμύλου ἀρχῆς. Γναῖος δὲ Γέλλιος κατὰ τὸν τέταρτον, ᾧ καὶ μᾶλλον εἰκός. *(Dionys. II p. 100 lin. 16 ed. Sylburg. c. 31. De raptis Sabinis. Vulg. ref. ad incerta.)*

Namque Gellius in secundo: Deabus, inquit, supplicans. Et in eodem: Multitudo puerorum iam erat

ex raptabus. *(Charis. I pag. 39 ed. Putsch. Loquitur de raptis Sabinis. Eadem forma usus est in lib. III. V. VII. XCVII.)*

LIB. III.

Sed id perite magis, quam comice dictum intelliget, qui leget Cn. Gellii annalem tertium, in quo scriptum est, Hersiliam, cum apud T. Tatium verba faceret, pacemque oraret, ita precatam esse: Neria Martis te obsecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti, quod de tui coniugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, unde liberos sibi et suis posteris et patriae pararent. *(Gellius N. A. XIII, 22 § 13.)*

Et in tertio: Capite cum aliis paucabus consilium. *(Charis. I pag. 39. Cf. fragm. lib. II. Loquitur de Gellio.)*

LIB. V.

Et in quinto: Puellabus. *(Charis. I pag. 39.)*

LIB. VII.

Et in septimo: Pro duabus pudicabus. *(Charis. I pag. 39.)*

LIB. XV.

Sciendum est tamen eligendi ad pugnandum diem Romanis tunc fuisse licentiam, si ipsi inferrent bellum; at cum exciperent, nullum obstitisse diem quo minus vel salutem suam vel publicam defenderent dignitatem. Quis enim observationi locus cum eligendi facultas non supersit? Dies autem postridianos

ad omnia maiores nostri cavendos putarunt; quos etiam atros, velut infausta appellatione damnarunt, eosdem tamen nonnulli communes velut ad emendationem nominis vocitaverunt. Horum caussam Gellius annalium libro quinto decimo, et Cassius Hemina historiarum libro secundo referunt. Anno ab urbe condita trecentesimo sexagesimo tertio a tribunis militum Virginio, Manlio, Aemilio, Postumio collegisque eorum in senatu tractatum, quid esset, propter quod totiens intra paucos annos male esset afflicta res publica; et ex praecepto patrum L. Aquinium haruspicem in senatum venire iussum, religionum requirendarum gratia, dixisse, Q. Sulpicium tribunum militum ad Alliam adversum Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quintiles; item apud Cremeram, multisque aliis temporibus et locis, post sacrificium die postero celebratum, male cessisse conflictum. Tunc patres iussisse, ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur: pontificesque statuisse, postridie omnes Calendas, Nonas, Idus atros dies habendos; ut hi dies neque proeliales, neque puri neque comitiales essent. *(Macrob. Sat. I, 16. Cf. Livius V, 36.)*

LIB. XXXIII.

Gellius libro XXX: Calvariaeque eius ipsum ossum expurgaverunt, inauraveruntque. *(Priscian. VII pag. 750. A. U. C. 538.)*

Quamvis Gellius libro XXXIII dixerit: Calvariaeque eius ipsum ossum expurgarunt inauraruntque. *(Charis. I pag. 40.)* [1])

1) Idem Charisius eadem verba ex eodem (XXXIII) Gellii libro citat apud Putschium lib. I pag. 112. Quamobrem apud

LIB. XCVII.

Gellius in nonagesimo septimo: Portabus, et mox: Oleabus. *(Charis. I pag.* 40. *Dubitaverim de numero.)*

INCERTA.

Qui Cacus habitavit locum cui Salinae nomen est, ubi Trigemina nunc porta. Hic, ut Coelius tradit, cum a Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat Marsyae regis *cet. (Solinus cap.* 2. *Sed rectius fortasse vet. cod. exhibet* Gellius. *Vide editionem Camertis. Si spectat locus ad Gellium nostrum, quod libenter crediderim, pertinet ad librum primum. Cf. Coelii fragm. incert. extr.)*

Quamvis Gellius fora navium neutraliter dixerit. *(Charis. I pag.* 55 *ed. Putsch.)*

Gellius vero: Regerum, et: Lapiderum. *(Charis. I pag.* 40.*)*

Et Gellius: huius Chalcae. *(Charis. I pag.* 50.*)*

Cn. Gellius in annalibus: Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit. *(Gellius Noct. Att. XVIII,* 12 § 6.*)*

Gellius annalium: Deliquium solis, et Delinquionem dicit. *(Serv. ad Aen. IV,* 390.*)*

Priscianum VII p. 750 videtur XXXIII pro XXX legendum: Ceterum Livius refert XXIII, 24: *Ibi Postumius, omni vi, ne capesseretur, dimicans occubuit. Spolia corporis capitisque ducis praecisum Boii ovantes templo; quod sanctissimum est apud eos, intulere: purgato inde capite, ut mos iis est; calvam auro caelavere; idque sacrum vas iis erat, quo sollemnibus libarent; poculumque idem sacerdoti esse ac templi antistitibus.* Cf. L. Coelii Antipatri fragm. incerta pag. 195.

Nec me fugit Gellium scribere, senatum decrasse, ut aedes Saturni fieret, eique rei L. Furium tribunum militum praefuisse. *(Macrob. Sat. I, 8 init.)*

Post annum vicesimum secundum legis Orchiae Fannia lex lata est, anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem, quingentesimo nonagesimo secundo. *(Macrob. II, 13 princ.)*

Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata *cet.* *(Cicero de divinat. I, 26. Vide fragm. Coelii pag. 196.)*

At Piso censorius, et Cn. Gellius, sed et Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat *(vivebant?)*, post annum factos tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCVIII. *(Censorin. d. d. n. cap. 17 de quartorum ludorum saecularium anno.)*

Gellio Doxius Coeli filius, lutei aedificii inventor placet, exemplo sumpto ab hirundinum nidis. *(Plinius H. N. VII, 56.)*

Sol Oceani filius, cui Gellius medicinae quoque inventionem et mellis assignat. *(Plin. VII, 56.)*

Mensuras et pondera Phidon Argivus *(invenit)*; aut Palamedes, ut maluit Gellius. *(Plin. VII, 56.)*

Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam, et Evander ad nos transtulerunt. — — Grammatici praeterea Demetrius Phalareus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt *cet.* *(Marius Victorinus art. gramm. lib. I p. 2468 Putsch.)* [1])

---

1) Spectat locus, ut ex ipso fragm. cognoscitur, ad Cincium, Fabium, Gellium grammaticos, non historicos: cf. p. 63 et 82.

Cato autem et Gellius a Sabo Lacedaemonio trahere eos *(Sabinos)* originem referunt. *(Serv. Aen. VIII, 638. Spectat fortasse ad lib. secundum. Cf. fr. Cat. Origg. inc. p. 122.)*

Νομᾶ τοῦ βασιλέως πρώτου καὶ τοῦτο Ῥωμαίοις τὸ ἱερὰν ἀρχεῖον κατασκευαμένου. Εἰ μέντοι παρὰ τῶν καλουμένων Ἐβικλῶν τὸ παράδειγμα ἔλαβεν, ὥσπερ οἴονταί τινες, ἢ παρὰ τῆς Ἀρδεατῶν πόλεως, ὡς γράφει Γέλλιος, οὐκ ἔχω λέγειν. *(Dionys. II c. 72 p. 131. De institutione Saliorum.)*

Ὡς δὲ Γέλλιος Γναῖος ἱστορεῖ *(Numa reliquit)* θυγατέρα μόνην, ἐξ ἧς ἐγένετο Ἄγκος Μάρκιος, ὁ τρίτος ἀπ' ἐκείνου γενόμενος Ῥωμαίων βασιλεύς. *(Dionys. II c. 76 p. 136 lin. 4.)*

Παραγίνεται δ' εἰς Ῥώμην *(Tarquinius Priscus)* Ἄγκου Μαρκίου βασιλεύοντος, ὡς μὲν Γέλλιος ἱστορεῖ, κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς βασιλείας. *(Dionys. IV p. 211 lin. 41 cap. 6.)*

Δικίννιος μὲν γὰρ καὶ οἱ περὶ Γέλλιον οὐδὲν ἐξητακότες οὔτε τῶν εἰκότων οὔτε τῶν δυνατῶν, αὐτὸν εἰς ἀγοὺσι τὸν βασιλέα Ταρκύνιον ἀγωνιζόμενον ἐφ' ἵππου καὶ τιτρωσκόμενον, ἄνδρα ἐννενήκοντα ἔτεσι προάγοντα. *(Dionys. VI c. 11 p. 349 lin. 13. De pugna ad lacum Regillum.)*

Τύραννοι δὲ τότε κατὰ πόλεις μὲν ἦσαν, ἐπιφανέστατος δὲ Γέλων ὁ Δεινομένους, νεωστὶ τὴν Ἱπποκράτους τοῦ ἀδελφοῦ τυραννίδα παρειληφὼς, οὐχὶ Διονύσιος ὁ Συρακούσιος, ὡς Δικίννιος γέγραφε, καὶ Γέλλιος, καὶ ἄλλοι σύχνοὶ τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, οὐδὲν ἐξητακότες

De Plinianis locis VII, 56 dubitare licet, num ad historicum Gellium recte referantur. Idem valet fortasse de iis, ubi noster non diserte significatur.

κότες τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶς, ὡς αὐτὸ τοὔργον δηλοῖ, ἀλλ' εἰκῇ τὸ προσῳχὸν ἀποφαινόμενοι. (*Dionys. VII c. 1 p. 417 lin. 32.*)

SEX. GELLIUS.

Sequatur hoc loco Sextus Gellius. Praenomine addito raro laudatur Gnaeus, quo de modo egimus, rarius etiam Sextus, quique hunc in censu nostro excipiet Aulus Gellius. Niebuhrius quidem in historia Romana tom. II ed. tert. anni 1830 pag. 10 extr. a recentioribus ex Dionysii verbis lib. I pag. 6 extr. plures Gellios factos esse contendit, aitque apud Ciceronem de legg. I, 2 *Gellios* ex coniectura scriptum propterea, quod in subdito libro de origine gentis Romanae Sextus quidam Gellius fictus esset: addit etiam neminem suspicari plures Calpurnios fuisse. Tacuissem pro more meo de Niebuhrio, nisi fore putassem, ut tanti viri auctoritas aliquos falleret. Primum autem fuisse plures et Gellios et Calpurnios (Pisones) multo ante Niebuhrium sagacem praeter ceteros diligens Vossius vidit. Etiam Aelii (Tuberones), quos, nescio cur, praetermisit Niebuhrius, extiterunt complures, Lucius eiusque filius Quintus. Deinde l. l. Dionysius ita: καὶ τὰ μὲν παρὰ τῶν λογιωτάτων ἀνδρῶν, οἷς εἰς ὁμιλίαν ἦλθον, διδαχῇ παραλαβών· καὶ δὲ ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαῖοι συνέγραψαν, Πόρκιός τε Κάτων, καὶ Φάβιος Μάξιμος, καὶ Οὐαλέριος Ἀντιάς, καὶ Λικίνιος Μάκερ, Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι, καὶ Καλπούρνιοι, καὶ ἕτεροι πρὸς τούτοις συχνοὶ ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς· ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν· εἰσὶ δὲ καὶ Ἑλ-

ληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι· τότε ἐπεχείρησα τῇ γραφῇ. Si unus Gellius intelligendus est, unus Calpurnius, unus Aelius, quorum plures fuerunt: quid est caussae, cur ceteri singulari numero nominentur? Nimirum unus tantum Cato Porcius historicus fuit, unus Fabius Maximus, unus Valerius Antias, unus denique Licinius Macer. Neque vero Dionysius Aelios, Gellios Calpurniosque ceteris scriptoribus praestantiores putavit. Similiter Cicero de divinat. I, 26: „Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius." Namque Fabios plures viguisse in disceptationem non veniet: Coelii nomine, quod sciamus, unus modo historicus extitit: tum *Gellii* apud Cic. de legg. I, 2 est quidem Guilielmi emendatio: nam codices *belli* vel *bello* habent; sed vellem Niebuhrius locum melius restituisset. Tum Dionysius lib. II pag. 100 Γναῖος Γέλλιος, sed II pag. 136 Γέλλιος Γναῖος scribit praenomine postposito, ut possit auctorem suum a ceteris Gelliis accuratius distinguere videri. Sexto autem Auloque Gelliis eos tantum locos tribuimus, ubi praenominibus additis nominati sunt: reliquos in rè incerta cum Gnaei fragmentis transscripsimus.

FRAGMENTA.

Interim Lavinia, ab Aenea gravida relicta, metu, veluti insecuturi se Ascanii, in silvam profugit ad magistrum patrii pecoris, Tyrrhum, ibique enixa est puerum, qui a loci qualitate Silvius est dictus. At vero vulgus Latinorum existimans clam ab Ascanio interfectam, magnam ei invidiam conflaverat, usque eo, ut armis quoque ei vim denuntiaret. Tum Ascanius iureiurando se purgans, cum nihil apud eos pro-

ficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram praesentem vulgi aliquantulum fregit, pollicitusque est, se ingentibus praemiis cumulaturum eum, qui sibi Laviniam investigasset: mox recuperatam cum filio in urbem Lavinium reduxit, dilexitque honore materno. Quae res rursum ei magnum favorem [1]) populi conciliavit, ut scribunt Gaius Caesar et Sextus Gellius in Origine Gentis Romanae. *(Auctor lib. de orig. gent. Rom. cap.* 16.*)*

Litteras semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Aegyptios a Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt. *(Plinius VII*, 56 *init. A Cortio et Havercampio refertur ad Sextum Gellium, a Frotschero ad Gnaeum historicos. Sed in Plin. editt., quibus usus sum, praenomen non inveni; deinde grammaticum potius intelligo, non historicum. Similem locum Marii Victorini de art. gramm. lib. I p.* 2468 *derogavi Fabio, Cincio, Gellio historicis. Vide pag.* 63. 82. 207.*)*

A. GELLIUS.

Superest Gelliorum tertius Aulus, a Nonio tantum et Vopisco diserte laudatus. Priore loco vulgo

---

1) Scriptor hic res, non verba ex Sexti Gellii Origine desumpsit. Ceterum verbum *favor*, de quo nemo verius statuit quam Quintilianus lib. VIII cap. 3, apud Ciceronem raro occurrit. Alienum est autem de legg. II, 5 § 11, ubi pro FAVORE non dubito legere EA MORE. Nec admodum frequens est apud Ciceronem dicendi ratio [illegible] vel inter omnes *constat*; in Cic. Academ [illegible] propter sententiam eiicere ausim verb[illegible] *omnes*.

legitur *Agellius*, ubi alii scribi voluerunt *Asellio*, alii *Cn. Gellius*; altero loco apud Vopiscum *Gellius* inque paucis tantum codicibus *Agellius*, pro quo *Gnaeum* vel etiam *Sextum* corrigi nonnulli maluerunt, utrumque tamen ludibrii gratia, non caussa adducti. Quid enim? num plura constant de Sexto?[1])

FRAGMENTA.

LIB. I.

A. Gellius historiarum libro primo: Et quod bubo in columna aedis Iovis sedens conspectus est. *(Nonius: Bubo mascul. gen.)*

INCERTA.

Certum est quod Sallustius Crispus, quodque M. Cato et *(A.)* Gellius historici sententiae modo in litteras rettulerunt, omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui uniuscuiusque facta descripserint. *(Vopiscus in Probo init. Cf. Sallust. Catil. cap. 3.)*

1) Cicero commemorat L. Gellium oratorem in Brut. cap. 47: „Horum aetati prope coniunctus L. Gellius non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset. Nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, *nec Romanarum rerum immemor*, et verbis solutus satis; sed in magnos oratores inciderat eius aetas: multam tamen operam amicis, et utilem praebuit; atque ita diu vixit, ut multarum aetatum oratoribus implicaretur, multum etiam in caussis versaretur."

CLODIUS LICINUS.

Auctore Tullio (de legg. I, 2) Gelliorum aequalis fuit Clodius (Licinus), perperam quondam Licinius cognominatus, praenomine fortasse Publii, si apud Appianum R. Celt. fragm. 3 ita pro vulgata *Paulus Claudius* legendum est. Ita autem Appianus l. l. οἱ Τιγύριοι δ' αὐτῶν χρόνῳ ἔμπροσθεν Πείσωνος καὶ Κασσίου τινὰ στρατὸν ἑλόντες, ὑπὸ ζυγὸν ἐξεπεπόμφεσαν, ὡς ἐν χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ. De Claudio autem Quadrigario minus etiam locus videtur intelligi posse, quippe qui Quintus vocetur. Multa sunt incerta de Clodio nostro Licino, quem unus cognominat Livius XXIX, 22, multa etiam a recentioribus ficta atque errata. Diversus est enim a Claudio Quadrigario, cuius secundus et potissimum tertius liber continebat historiam de Pyrrho (Gell. III, 8 § 5 et 8); Clodius contra Licinus libro tertio Africani tempora descripsit (Liv. XXIX, 22); Quadrigarius quinto cladem Cannensem (Macrob. I, 16. Gell. V, 17 extr.), quaeque ex sexto Quadrigarii Gellius affert II, 2 § 13, facta sunt anno urbis 541 Q. Fabio Q. F. Maximo, Ti. Sempronio Graccho iterum consulibus. Deinde diversus fortasse est ab eo Claudio (non Clodio), qui annales Acilianos vertit (Liv. XXV, 39 et XXXV, 14: cf. p. 86), quique non videtur Quadrigarius esse. Tum seiungendus noster est a *Sexto Clodio*, qui librum *de diis Graece* scripserat, auctorque de Fauno nominatur ab Arnobio V, 18 et Lactantio I, 22. Confudit autem utrumque Fridericus Lachmannus in lib. de fontibus Liviî commentat. poster. pag. 23, etsi diversos eos suspicatus erat Wasse in annot. ad hist. fragm. in ed.

Sallust. Haverc. t. II p. 334. Porro Servius ad Aeneidem ter laudat *Clodii commentarios;* sed dubito, an alius Clodius intelligendus sit. Non tamen dubitaverim, quin Clodium nostrum Licinum intellexerit Cicero de legg. I, 2, ubi Clodium cum Gelliis et Asellione languidum et inscitum vocat. Incertum autem videri debet, num Plutarchi (in Numa princ. pag. 59 E) Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων, οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται cet., recte ad nostrum referatur. Sed tamen videtur Plutarchus eundem atque Appianus auctorem habuisse, a quo citatur l. l. *Paulus Claudius ἐν χρονικαῖς συντάξεσιν.*

CLODII LICINI RERUM ROMANARUM LIB. III.

Hunc Pleminium Clodius Licinus in libro tertio rerum Romanarum refert ludis votivis, quos Romae Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut frangendi carceris fugiendique haberet occasionem. Patefacto dein scelere, delegatum in Tullianum ex senatusconsulto. *(Livius XXIX, 22 coll. Valer. Max. I c. 1 § 21.)*

CLODII INDEX TEMPORUM.

Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων (οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον) ἰσχυρίζεται τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι, τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι, δι' ἀνδρῶν χειριζομένων τισὶν, εἰς τὰ πρῶτα γένη

καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζόμενος. *(Plutarchus in Numa cap. 1 pag. 59 E.)*

SEXTI CLODII LIBRI GRAECI DE DIIS.

LIB. VI.

Et Sextus Clodius in eo libro, quem Graece scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse, quae quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem caesa. Postea vero cum eum facti sui poeniteret, et desiderium eius ferre non posset, divinum illi honorem detulisse. Idcirco in sacris eius obvolutam vini amphoram poni. *(Lactant. institut. divin. I, 22.)*

Faunam igitur Fatuam, bona quae dicitur dea, transeamus: quam myrteis caesam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de diis Graeco: signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas: sicut suis scribit in causalibus Butas. *(Arnobius V, 18. Adduntur a Wassio et Lachmanno loci, qui ad Clodium Licinum non pertinent, Arnob. I, 5 et Tzetzes in Chil. II, 6, 960.)*

CLODII COMMENTARII.

Clodius commentariorum: vasta, inania, magna. *(Servius ad Aen. I, 52.)*

Clodius scriba commentariorum: Insinue ut intro eam penitus. *(Serv. ad Aen. II, 229.)*

Clodius scribit commentariorum quarto, se ex arboribus fomenta excidisse. Item alio loco: Assulae ambustae, ligna excavata a fungis nomine excepto. *(Serv. ad Aen. I, 176.)* [1])

P. SEMPRONIUS ASELLIO.

De Publii Sempronii Asellionis vita hic locus extat apud Gellium in N. A. lib. II cap. 13: „Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit: resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit.“ Incepit autem bellum Numantinum anno urbis 614 C. Laelio sapiente, Q. Servilio Caepione consulibus; diruta Numantia est anno 621 P. Mucio Scaevola, L. Calpurnio Pisone Frugi coss., ut a. ferme 590 natus videatur. Scripsisse noster videtur aetate iam provectus, medio saeculo septimo, quia a Cicerone de legg. I, 2 post Coelium Antipatrum et Gellios et Clodium nominatur. A Dionysio in Ant. Rom. lib. I pag. 9 auctor profertur Γάϊος Σεμπρώνιος, et pag. 11 Σεμπρώνιος, quem utrumque locum recte nobis videmur ad C. Sempronium Tuditanum rettulisse, praesertim cum noster Publius Sempronius Asellio, quantum scimus, antiquissima tempora non perscripserit. Vetus hic scriptor, qui dicitur a Gellio lib. XIII c. 3 § 6, prooemio facto de ratione, qua scribi historiam oporteat, exposuit copiosissime de bellis Punicis, Gracchorumque tem-

1) Servius ad Aen. XII, 657 ita laudat Clodium Tuscum: *Clodius Tuscus: Mussare est ex Graeco, comprimere oculos; Graeci* μῦς (μῦσαι, μύζω) *dicunt.*

poribus, quibus ipse vixit: cf. Gell. II, 13. Primis autem quattuor libris videtur de Punicis bellis dixisse: cf. Gell. XIII, 3 et Non. s. v. *gliscitur*, quo loco Lepidum intelligo eum, qui urbis anno 617 cum C. Hostilio Mancino consulatum tenuit. Haec cum Asellio quarto libro narraverit, ad quartum quintumve referendum est fragmentum apud Gellium I, 13 § 10, ubi de P. Crasso Muciano dicit, consule cum L. Valerio Flacco anno 623. De P. Crasso cf. Cic. in Brut. c. 26. Inde a quinto libro Gracchorum tempora descripsit (Gell. II, 13 coll. Gell. I, 13 § 10), copiosius etiam, quantum videtur, quam bella Punica. Sed quot libros historiarum fecerit, incertum est, neque annus, ad quem usque res memoriae prodiderit, definiri potest. Ipse denique libri titulus non constat; nam *libri rerum gestarum* laudantur a Gellio II, 13; IV, 9; XIII, 21; et Charisio II p. 176; *historiae* a Gellio XIII, 3 (coll. Gell. I, 13 § 10), Charisio II p. 195, Servio ad Aen. XII, vers. 121, Prisciano V pag. 668. Omnino autem rerum gestarum vel historiarum, non annalium nomine opus inscripsisse videbitur, si quae ipse Asellio de rerum gestarum annaliumque discrimine dixit, apud animum reputaveris: Gell. V, 18. Ipse vero noster eum contra annalium rationem disputet, non veterum more singulorum annorum res simpliciter enarrasse, sed rerum gestarum caussas ac nexus exposuisse et demonstrasse putandus est. Quanquam Cicero de legg. I, 2 orationis ornatum opinor intelligens, Gellios, Clodium et Asellionem nihil dicit ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Cum vero non per annos, sed per dies singulos res gestae scribuntur, ea historia Graeco vocabulo ἐφημερὶς dicitur, cuius Latinum interpretamentum scriptum est in libro Sempronii Asellionis primo, ex quo libro plura verba adscripsimus, ut simul ibidem, quid ipse inter res gestas et annales esse dixerit, ostenderemus: Verum inter eos qui annales relinquere voluissent, et eos qui res gestas a Romanis perscribere conati essent, omnium rerum hoc interfuit. Annales libri tantummodo quod factum, quoque anno gestum sit, ea demonstrabant, id est, eorum quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα vocant. Nobis non modo satis esse video, quod factum esset, id pronuntiare, sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent, demonstrare. Paulo autem post idem Asellio in eodem libro: Nam neque alacrioris ad rempl. defendendam, neque segnioris ad rem perperam faciundam annales libri commovere quicquam possunt. Scribere autem bellum, initum quo consule, et quomodo confectum sit, et quis triumphans introierit, et quae eo in bello gesta sint, iterare, non praedicare autem, interea quid senatus decreverit, aut quae lex rogatiove lata sit, neque quibus consiliis ea gesta sint: id fabulas pueris est narrare, non historias scribere. *(Gell. V*, 18 § 7 *sqq.)*

LIB. III.

Asellio in tertio historiarum adverbialiter sine que extulit, ut: Fieri solet plerum, ut in victoria mitior mansuetiorque fiat. *(Prisc. V p.* 668 *ed. Putsch.)*

LIB. IV.

— cum legerem Sempronii Asellionis, veteris scriptoris, quartum ex historia librum, in quo de P. Africano, Pauli filio, ita scriptum est: Nam se patrem suum audisse dicere L. Aemilium Paulum, nimis bonum imperatorem signis collatis non decertare, nisi summa necessitudo aut summa ei occasio data esset. *(Gell. XIII, 3 extr.)*

Sempronius Asellio historiarum libro quarto: Ut maior invidia Lepido glisceretur. *(Non. gliscitur pro gliscit. Popma intelligit eum, qui cos. fuit a. 617 cum C. Hostilio Mancino.)*

LIB. V.

— nunc quoque in libro Sempronii Asellionis rerum gestarum quinto ita positum esse offendimus. Is Asellio sub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit: resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. Eius verba de Tiberio Graccho, tribuno plebi, quo in tempore interfectus in capitolio est, haec sunt: Nam Gracchus domo cum proficiscebatur, nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur. Atque inde infra de eodem Graccho ita scripsit: Orare coepit id quidem, ut se defenderent liberosque suos: eum quem virile secus tum in eo tempore habebat, produci iussit, populoque commendavit prope flens. *(Gell. II c. 13. Liberi pro uno filio filiave.)*

LIB. XI. (XL)

Asellio quoque rerum Romanarum quadragesimo: Tam pulchrum opus, tamque artificiose factum passus est dirui. *(Charis. II pag. 176 ed. Putsch. Sed ibi XL male videtur ex XI factum esse. Intel-*

ligit Popma, theatrum, quod L. Scipio Asiaticus cos. a. 671 *demolitus est. Non videtur probabile propter aetatem.)*

LIB. XIII.

— quod Sempronius Asellio tertio decimo rerum gestarum ita scripsit: Facta sua spectari oportere, non dicta, si minus facundiosa essent. *(Gell. IV,* 9 § 12.*)*

LIB. XIV.

Sempronius Asellio in libro rerum gestarum quarto decimo. Crepidarium, inquit, cultellum rogavit a crepidario sutore. *(Gell. XIII,* 21 *extr.)*

Sempronius Asellio historiarum libro XIV: Ne possent aut stationes facere hoc secus. *(Char. lib. II p.* 195*; secus pro post.)*

INCERTA.

Asellio historiarum tritarum *(al.* hist. *III)*: Quartum signum accedebat, sive pilatim sive passim iter facere volebat. *(Servius Aen. XII,* 121. *Vossius coniecit: Romanarum.)*

Is Crassus a Sempronio Asellione et plerisque aliis historiae Romanae scriptoribus traditur quinque habuisse rerum bonarum maxima et praecipua; quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod iurisconsultissimus, quod pontifex max. Is cum in consulatu obtineret Asiam provinciam, et circumsidere oppugnareque Leucas oppidum pararet, opusque esset firma atque procera trabe, quae arietem faceret, quo muros eius oppidi quateret: scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα Elatensium, sociorum amico-

rumque populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, uter maior esset, cum mittendum curaret. Tum magister ἀρχιτέκτων comperto quamobrem malum desideraret, non, uti iussus erat, maiorem, sed quem esse magis idoneum aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Crassus eum vocari iussit; et cum interrogasset, cur non, quem iusserat, misisset, caussis rationibusque quas dictitabat spretis, vestimenta detrahi imperavit; virgisque multum caecidit, corrumpi atque dissolvi officium omne imperantis ratus, si quis ad id, quod facere iussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat. *(Gell. I,* 13 § 10. *Spectat fortasse ad librum quintum.)*

C. IUNIUS GRACCHANUS.

Gracchorum temporibus vixit Iunius, a Gaii Gracchi amicitia Gracchanus dictus. Etsi non traditur annales eum historiamve condidisse, tamen, cum fragmenta historicum argumentum prodant, inter rerum scriptores iure videtur sibi locum poscere.

FRAGMENTA.

Postea, sive a Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Iunius, a Tarquinio duodecim facti sunt menses, et dies CCCLV. *(Censorin. d. d. n. cap.* 20.*)*

Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse, Fulvius et Iunius auctores sunt: et quidem duos primos a parentibus suis nominasse, Martium a Marte

patre, Aprilem ab Aphrodite, id est Venere: unde maiores eius oriundi dicebantur: proximos duos a populo, Maium a maioribus natu, Iunium a iunioribus; ceteros ab ordine, quo singuli erant: Quintilem usque ad Decembrem perinde a numero. *(Censorin. c. 22.)*

Iunius Servium Tullium regem primum intercalasse commemorat. *(Macrob. Sat. I, 13 extr.)*

Quin etiam ipsum equitum nomen saepe variatum est; in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde Flexumines; postea Trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum novem milia, sine ullo peditum adiumento, cepissent eius vocabuli. Idque duravit ultra C. Gracchum. Iunius certe, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: Quod ad equestrem ordinem attinet, antea Trossulos vocabant, nunc equites vocant: ideo, qui non intelligunt, Trossulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari. Et causam, quae supra indicata est, exponit: invitosque etiamnum Trossulos vocari. *(Plin. H. N. 33 c. 2. Harduinus Iunium id dixisse putat in libris de potestatibus, quorum septimum laudat Ulpianus in Dig. lib. de Offic. Quaest. Cf. Meyerus in fragm. orat. Rom. p. 115.)*

Subura Iunius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe; quoi testimonium potest esse, quod subest ei loco qui Terreus murus vocatur. *(Varro de L. L. V p. 15.)*

Luceres, ut Iunius, a Lucumone. *(Varro de L. L. V p. 17.)*

Secundus *(Aprilis mensis)* ut Fulvius scribit et Iunius a Venere quod ea sit Ἀφροδίτη. *(Varro de L. L. VI p. 60 coll. Macrob. Saturnal. I cap. 12.)*

M. AEMILIUS SCAURUS.[1])

Iam recensendi sunt viri nobilissimi, vitae agitati procellis, qui suas res gestas primi Romanorum litteris mandarunt, Scaurus, Rutilius, Catulus, quorum primum locum teneat propter aetatem M. Aemilius M. F. M. N. Scaurus. Pater pecuniam exiguam negotio carbonario partam filio reliquit, qui prae ceteris suae aetatis viris excellens, generis memoriam prope intermortuam virtute renovavit, cum nec pater nec avus ad magistratum petendum accesserit. Primum noster argentariam fecit, deinde in Hispania corniculum meruit: sub Oreste in Sardinia stipendia fecit: tum quaestor fuit anno 627; aedilis a. 631 iuri reddendo magis, quam muneri edendo studuit; neque licuit propter paupertatem; praetor a. 634; consul a. 639 cum M. Caecilio Q. F. Metello, cum suo anno deiectus esset a Q. Maximo et C. Licinio: cf. Cic. pro Murena c. 17. Iam hoc tempore magnam famam adeptus, in ipso consulatu, quod nemini praeter hunc contigit, princeps senatus lectus est a L. Caecilio Metello Dalm., Cn. Domitio Ahenob. censoribus: cf. Cic. de Nat. Deor. II, 23; Plin. II, 55. Galliam provinciam rexit, domuit Ligures et Gantiscos, de iisque triumphavit: Frontin. IV, 3. 13. Censor cum M. Livio Druso viam Aemiliam stravit, ac pontem Mulvium fecit: cf. Aurel. Vict., Strabo V, 8, Ammian. Marcellin. XXVII, 3; sed mortuo collega magistratu

1) Vie de Scaurus, pour servir de supplément aux Mémoires écrits par lui-même. Par M. le Président de Brosses. Inest in Mémoires de l'Acad. des inscript. et belles-lettres tom. XXIV p. 235—260. Sed is librorum de vita vix meminit.

abire noluit, donec in carcerem duci a tribunis plebis iussus est: cf. Plutarch. Quaest. Rom. pag. 342 Hutt. Consul iterum suffectus est L. Cassio Longino in proelio cum Tigurinis Gallis occiso a. 647. Cicero eum in orat. pro Murena cap. 17 appellat hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, et laudibus effert summis de off. I, 22; I, 30; pro Sextio c. 17 § 39; pro Fonteio 7. 8; in Brut. c. 29; cf. Valer. Max. V, 8. 4. Habuit autem cum multis simultates: Cic. de or. II, 70; de off. I, 22; de prov. cons. 8; Valer. Max. VI. 5. 5; III, 7. 8. Sallustius vero in Iug. cap. 15 ita de eo iudicavit: „sed ex omnibus maxime Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans.“ Sallustium secutus videtur Lucilius Sat. lib. II fragm. Etiam dicendi arte excelluit, ut referunt Cicero in Brut. c. 29, pro Mur. c. 7, Aurel. Vict. de viris illustr. c. 72; fuitque omnino, quod multa scriptorum testimonia declarant, sua aetate vir nobilissimus. Sed dicendum est, quo nomine hoc loco recensetur, de Scauro rerum suarum scriptore. Scripsit enim, quod sciamus, primus omnium de vita sua tres libros, eosque misit ad L. Fufidium veteris frugalitatis hominem. Plin. XXXIII, 1: „L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de vita sua scripsit.“ Idem in Bruto testatur Tullius c. 29: „Huius et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri, scripti de vita ipsius acta, sane utiles; quos nemo legit. At Cyri vitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam.“ Tacitus in Agric. cap. 1: „Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio et

Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit." Sed quantum de librorum auctoritate iudicare possumus: procul dubio omnino omnibus, qui vitam suam ipsi narrarunt, caute habenda fides est, quoniam veram rerum rationem fucata oratione obumbrare solent. Vide, si tanti est, quae dixi in libello de Suetonii fontibus pag. 7. 8. 32. 51. 58. 62. 63, qui quidem libris, quos Caesares de vita sua composuerant, nonnunquam fidem derogandam esse docuit. Adhibuit autem Scauri libros Valerius Maximus, cuius auctoritas multis, fortasse iniuria, parum idonea videtur. Denique liceat de Scauro oratore iudicium Ciceronis addere, cum inde de historiis eius suspicari possimus (Cic. Brut. cap. 29): „In Scauri oratione, sapientis hominis et recti, gravitas summa, et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut caussam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: ad senatoriam vero sententiam, cuius erat ille princeps, vel maxime. Significabat enim non prudentiam solum, sed, quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset." [2])

---

2) De Brosses l. l. pag. 257 extr. ita scribit; „Il avoit lui-même écrit divers ouvrages, savoir, un recueil de harangues, une histoire de Cyrus, et ses propres Mémoires en trois livres adressés à Fufidius. Il ne nous reste rien de ses Écrits que quelques fragmens des Mémoires cités par Valère Maxime et par les anciens grammairiens, sur-tout par Diomède, mais qui ne sont d'aucun usage pour l'histoire de ce temps-là." Deinde pag. 258 in annotatione de Ciceronis loco Brut. cap. 29 extr.: „Cicéron semble dire ici que Scaurus avoit écrit une Cyropédie; cependant, en écrivant ceci, il n'avoit peut-être en vûe que la Cyropédie de Xénophon." Cyropaediam Scaurus non scripsit, sed intellexit Cicero librum Xenophontis.

FRAGMENTA.

LIB. I.

M. autem Scaurus quantulam a patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum, quos de vita sua scripsit, refert. Ait enim sibi decem sola mancipia, totumque censum quinque atque triginta milium nummum relictum. *(Valerius Maximus IV*, 4 § 11.*)*

LIB. III.

Scaurus de vita sua III: Praelium non sini fieri. *(Diomed. lib. I pag.* 371 *ed. Putsch.)*

Scaurus de vita sua III poteratur etiam sicut possitur dictitat. *(Diomed. I p.* 381, *pro: poterat.)*

Scaurus lib. III: Vectigalium se minus fructos. *(Charis. I p.* 119, *pro: vectigaliorum.)*

INCERTA.

Scaurus de vita sua: Sagittis, inquit, confictus. *(Diomed. I p.* 373 *ed. P. pro: confixus.)*

Scaurus de vita sua: In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi. *(Pilatim pro strictim et dense. Servius ad Aen. XII*, 121.*)*

Universi quoque exercitus notabilis saepe fuit continentia, sicuti eius, qui sub M. Scauro meruit. Namque memoriae tradidit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die, abeunte exercitu, intactis fructibus relictam. *(Frontinus strategemat. IV*, 3 § 13. *Non satis perspicio, quid sit, cur Meyerus in fragm. orat. Rom. p.* 129 *hunc locum ad Scauri oratt. rettulerit.)*

CONTRA BRUTUM.

M. Scaurus contra Brutum de pecuniis repetundis: praefecti fabrum. *(Charis. I pag.* 103 *extr. pro: fabrorum. Cf. Diomed. I pag.* 398. *Cic. pro Fonteio c.* 13.*)*

M. Scaurus de pecuniis repetundis: M. Brutum ita officiose atque observanter tractavere. *(Charis. II p.* 187 *ed. Putsch.)*

CONTRA Q. CAEPIONEM.

M. Aemilius Scaurus contra Quintum Caepionem actione secunda: Nefarius vulturius, patriae parricida. *(Charis. I p.* 120. *Caussam dixit a.* 663.*)*

PRO SE CONTRA Q. VARIUM TR. PL.

Cf. Valer. Max. III, 7 § 8. Quintil. V, 12 § 9. Aurel. Vict. de viris illustr. 72. Sed de his fragm., quae accuratius persequi propositi nostri non est, delegamus lectorem ad Meyerum p. 128 sqq.

P. RUTILIUS RUFUS.

Scauro paulo minor natu, Sisennae aequalis (Vellei. II, 9) est P. Rutilius Sp. F. Sp. N. Rufus. Alii P. Rutilii sunt P. F. P. N. et P. F. L. N. Sed noster natus est patre praetorio; quaestor fuit anno 633; tribunus plebis cum C. Flavio Fimbria a. 639; praetor a. 643; consul cum Cn. Mallio Maximo a. 649. De morte denique non constat. Notus est

autem vitae probitate et calamitate animique constantia et magnitudine, quam prae ceteris praedicat Seneca. A Velleio (II, 13) appellatur vir non saeculi sui, sed omnis aevi optimus. Etsi plura de viro tam praestanti commemorari possunt, cuius frequens fit apud veteres mentio, tamen, cum iustis finibus dissertatio nostra coercenda sit, mittimus hoc loco imperatorem, oratorem, philosophum, iurisconsultum, dicimusque tantum de Rutilio historico. Latine scripsit de vita sua, et minimum quidem quinque libris, cuius operis raro meminit Charisius, rarius etiam et minus accurate Diomedes et Isidorus. Eosdem libros designat Tacitus in Agric. cap. 1. Deinde Graece condidit historiam Romanam, ut testis est Athenaeus lib. IV pag. 168 D cap. 20: Ῥουτιλίῳ τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ. Porro lib. VI cap. ult. pag. 274: Καὶ Ῥουτίλιος Ῥοῦφος ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς. Cum de antiquissimo tempore auctor non satis diserte laudetur, sunt, quibus in Graeca historia sua tantum tempora descripsisse videatur. Qui enim extat locus apud Macrobium in Saturnal. lib. I cap. 16, ubi explicat Rutilius, cur Romani nundinas instituerint, non cogit nos, ut ab u. c. res gestas eum narrasse arbitremur. At vero cum eiusmodi fragmentum de antiquissimis temporibus supersit, cumque non perspiciatur, cur sui temporis historia confecta etiam vitam suam narrarit, in tanta testimoniorum penuria nihil impedit, quominus eodem iure historias ab urbis origine incepisse putemus. Scripsit autem historiam cum Smyrnae in exilio esset: saltem eum litterarum studiis ibi intentum consenuisse tradit Orosius lib. V cap. 17 extr. Hannibalica autem vel Numantini belli historia, quae quidem vulgo enumerantur, non est diversus liber, sed

eadem historia, quam Athenaeus aliique laudant. De Hannibalicis, quae finguntur, Q. Fabii, L. Cincii, C. Acilii cf. pag. 45, 67, 85. Suidas s. v. Ῥουτίλιος ita: Ῥουτίλιος Ῥοῦφος. ἐπὶ Σκιπίωνος ἦν, ὃς αὐτῷ συνεστράτευσεν, συγγράψας τὰς τότε φθάσαντα γενέσθαι· ὃς τριακοστὰ χιλίαρχος ἐγεγόνει, ὡς φησιν Ἀππιανὸς ἐν τῇ Ῥωμαϊκῇ ἱστορίᾳ. Appianus vero (de bello Hannibal. pag. 522): Ὁ δὲ (*Scipio*) Ῥουτίλιον Ῥοῦφον, συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων τότε χιλιαρχοῦντα, ἐκέλευσε τέτταρας ἱππέων ἴλας λαβόντα, ἀναστεῖλαι τοὺς ἐνοχλοῦντας. Quod pertinet ad eius auctoritatem, Livius ei Polybioque fidem derogat, parum firmo argumento usus lib. 39 cap. 52; Plutarchus vero in Mario cap. 28, quanquam ipse non optimus iudex, si in universum iudices, non iniuria eum res vere scripsisse dicit. Sed quamvis res, quibus ipse interfuit, perscripserit, tamen in aestimanda eius auctoritate obliviscendum non est, vitam eum valde aerumnosam degisse. Denique de stilo Cicero in Brut. cap. 30 contendit Rutilium in quodam tristi et severo genere dicendi versatum esse, id quod etiam sine testimonio suspicari facile possumus, cum dicendi genus a moribus ac vitae ratione discrepare non queat. In Bruto autem cap. 31 med. Rutilio non magnam eloqentiam tribuit, et cap. 30 orationes appellat ieiunas.

HISTORIARUM LIBRI.

Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso iure, ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, et ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quae trinun-

dino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur. *(Macrob. Saturn. I,* 16.*)*

Tum admirationi fuisse aiunt Rutilius et Polybius philosophorum trium sui cuiusque generis facundiam. Violenta, inquiunt, et rapida Carneades dicebat, scita et teretia Critolaus, modesta Diogenes et sobria. *(Gellius VII,* 14 § 10 *coll. Macrob. I,* 5; *Plin. VII,* 30; *Lact. XV,* 17.*)*

Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego neque his, neque Valerio assentior *cet. (Livius* 39 *cap.* 52 *princ. a.* 570 *cf. Valerius Antias.)*

Ὡς δὲ Ῥουτίλιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστὸς, ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκὼς, φησὶν ὡς καὶ τῆς ἕκτης ἔτυχεν ὑπατείας, ἀργύριον εἰς τὰς φυλὰς καταβαλὼν πολὺ, καὶ πριάμενος τὸ Μέτελλον ἐκκροῦσαι τῆς ἀρχῆς, Οὐαλέριον δὲ Φλάκκον ὑπηρέτην μᾶλλον ἢ συνάρχοντα τῆς ὑπατείας λαβεῖν. *(Plutarchus in Mario cap.* 28 *pag.* 422 *A. ed. Francof.)*

Διαβόητος δ' ἦν παρὰ Ῥωμαίοις καὶ Σίττιος ἐπὶ τρυφῇ καὶ μαλακίᾳ ὥς φησι Ῥουτίλιος. *(Athenaeus lib. XII cap.* 12 *pag.* 543 *A.)*

DE VITA SUA.

LIB. I.

Artificiose: P. Rutilius Rufus de vita sua libro primo: Pompeius elaboravit uti populum Romanum nosset, eumque artificiose salutaret. *(Charis. lib. II pag.* 176 *ed. Putsch.)*

LIB. II.

P. Rutilius de vita sua libro secundo: Animo, inquit, constante. *(Charis. I pag.* 100 *ed. Putsch.)*

LIB. III.

Familiare recte P. Rutilius de vita sua libro tertio: Pro L. familiare veniebam. *(Char. I p.* 105.*)*

LIB. IV.

P. quoque Rutilius de vita sua libro quarto, Scaurus libro tertio: Vectigalium se minus fructos. *(Charis. I p.* 119 *ed. P.)*

LIB. V.

P. Rutilius de vita sua V: Ex orbi terrarum. *(Charis. lib. I pag.* 112 *ed. P.)*

Aedile, ab hoc aedile, non aedili. P. Rutilius de vita sua quinto. *(Charis. I pag.* 96.*)*

INCERTA.

Sino, sini, ut P. Rutilius de vita sua: Quodsi me invitum abire sinisset. *(Diomed. I pag.* 371 *ed. Putsch.)*

P. Rutilius de vita sua: Uni uma ostentata est. *(Diomed. I pag.* 372 *ed. P. Legendum esse* ostentura, *facile colligitur ex fragm. orat. p. L. Caerucio; coniecturam meam praeoccupavit Meyerus in fr. or. R. p.* 271.*)*

Lecticae sive plutei lecti, de quibus Satilius Rufus de vita sua: Primum, inquit, consuetudinem imperatorum ipse pro lecticis utebatur. *(Pro* Satilius *al.* Satirius; *sed lege* Rutilius. *Isidorus Hispal. Origg. XX,* 11.*)*

ORATIO DE MODO AEDIFICIORUM.

Etiam libros totos et senatui recitavit, et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda, et Rutilii de modo aedificiorum. *(Sueton. in Augusto cap.* 89.*)* [1])

PRO L. CAERUCIO.

Item *(P. Rutilius)* pro Lucio Caerucio ad populum, ex hoc derivavit participium: Quod ego me spero ostenturum, non ostensurum. *(Diomed. lib. I pag.* 372 *ed. Putsch. Eadem verba ex Catonis orat. pro L. Caesare ad populum laudat Priscian. X. p.* 892 *ed. Putsch.)*

PRO SE CONTRA PUBLICANOS.

Cf. Liv. epit. 70. Cic. de orat. I, 53.

Q. LUTATIUS CATULUS.

Intermortuam gentis gloriam instauravit Q. Lutatius Q. F. Catulus, qui consulatum petens anno 648

1) Codex ad Suetonium Berolinensis antiquior, sed ipse satis recens nec integer, omittit *Q.*, praenomen Metelli, quo fit oratio concinnior. Sed tamen levi emendatione scribendum puto *Q. Metelli — P. Rutilii*, ut uterque praenomine vocetur. Apud Sueton. Caes. c. 82 extr. legendum est fortasse: *Marci Antonii consulis et magistri equitum* Marci *Lepidi;* deinde quod certissimum videtur, Macrob. Saturnal. lib. I, cap. 13 extr. scribe:

bis repulsus est (Cic. in or. p. Plancio c. 5), postea autem a. 652 eum C. Mario quartum hunc magistratum obtinuit. Plutarchus (in Mario pag. 413 extr. ed. Francof.) eum vocat ἄνδρα καὶ τιμώμενον ὑπὸ τῶν ἀρίστων, καὶ τοῖς πολλοῖς οὐκ ἐπαχθῆ. Excelluit autem litterarum studio (Cic. de orat. II, 7 et 11, III, 38 sqq.), fuit imperator, bonus orator, et laudatur a Cicerone propter sermonem Latinum (Brut. c. 35 § 133; cf. Tuscul. V, 19; pro Arch. c. 3; Quintil. XI, 3 § 35). Idem in Bruto cap. 35 princ. ita de eo scripsit: „Multae litterae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas; quae perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium poetam, familiarem suum; qui liber nihilo notior est, quam illi tres, de quibus ante dixi, Seauri libri.“ Plutarchus, etsi ipse non videtur hos libros, Latine scriptos, legisse: tamen inde haud pauca, aliis nimirum scriptoribus adhibitis, praecipue in Mario servasse putandus est, ubi dicit etiam (in Mario pag. 420 extr. ed. Francof.): ὡς τὸν Κάτλον αὐτὸν ἱστορεῖν λέγουσι μεγαλύνοντα τοὺς στρατιώτας. Extant Catuli nostri epigrammatum fragmenta apud Gell. XIX,

---

Lucio Pinario et Publio *Furio coss.* (coss. a. u. c. 282); certissimum etiam in dial. de oratt. cap. 35 aut *L. Crasso* Cn. *Domitio censoribus* legendum, aut nomina solum ponenda esse, utroque, non uno omisso praenomine. Tum in Cic. accusat. lib. I cap. 5 § 14: *familiarem Herennium*, praenomen Marci desidero. Cic. pro Milone c. 9 § 26 libenter scripserim: *etiam* Marco *Favonio*, *fortissimo viro*, et pro lege Manil. cap. 9 extr. *partem* Manio *Glabrioni*. Cuncta vero haec diversas ferme rationes habent, nec se invicem tuentur.

9 extr. et Cic. de nat. deor. I, 28 coll. Plin. ep. V, 20. Tum laudavit etiam matrem Popilium, cui primum audieri hunc honorem in Romana civitate tributum putat Cicero de orat. II, 11 § 44. Diversum ab hoc Lutatio eum puto, quem laudat Varro de L. L. IV, p. 42 post Aelium Stilonem, deinde auctor libelli de origine gentis Romanae, Philargyrius ad Virg. Georg., Solinus, cuiusque communes historias nominat Servius ad Aen. IX, 710. Sed de eo posthac.

FRAGMENTUM.

Οὕτω δ' ἦσαν διάκοποι τὰ σώματα καὶ κατηβληκότες, ὡς μήτε ἱδρῶντά τινα, μήτε ἀσθμαίνοντα Ῥωμαίων ἀρχῆθεν, διὰ κινήσεως τοσαύτου καὶ μετὰ δρόμου τῆς συμβάσεως γενομένης· ὡς τὸν Κάτλον αὐτὸν ἱστορεῖν λέγουσι μεγαλύνοντα τοὺς στρατιώτας. *(Plutarchus in Mario cap. 26 pag. 420 extr. ed. Francof.)*

C. LICINIUS MACER.

Gaius Licinius Macer, pater C. Licinii Calvi oratoris, a. 672 nati, amicus et aequalis Sisennae (Cic. de legg. I, 2), quaestor fuit a. u. 665, triginta ferme annos natus; praetor deinde exercitum duxit, quod ostendit epistola apud Non. s. v. contendere; denique Rabirii inimicus a Cicerone praetore repetundarum accusatus voluntariam mortem obiit: cf. Cic. ad Att. I, 4; Valer. Max. IX, 12, 7; Plutarch. in Cic. cap. 9. Fuit vir acer, orator vehemens, quemadmodum tribunus plebis motus excitavit. Annales eius laudat bis Nonius, semel rerum Romanarum

libros idem appellat; historias vocant Macrobius et Priscianus. Incepit autem Macer ab antiquissimis urbis temporibus; narravit Graecas fabulas de oppidis Italicis, et videtur historiam ad suam aetatem tractasse, siquidem liber vigesimus primus a Nonio affertur: apertiora quidem eius rei testimonia non extant; sed, quod de sua aetate non diserte testis citatur, antiquiora solum tempora perscripsisse, iure meritoque inde colligi non potest. Copiose vero nostrum latequae res exposuisse, quodammodo ex fragmentis suspicamur: fatetur autem Cicero de legg. I, 2 ita scribens: „Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum; (nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis;) in orationibus autem multas ineptias: elatio summam impudentiam.“ [1]) Inclusit igitur, nisi fallimur annalibus etiam orationes, ut Cato, Fannius, alii. Cf. fragm. lib. II et XVI cum annotationibus, qui loci, dummodo recte nostro tribuantur, ex orationibus in annales relatis videntur deprompti esse. Sed fortasse de inimico Cicero in lib. de legg. paulo iudicavit iniquius; nam de eodem oratore scribit in Brut. c. 67 extr.: „C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii evertisset, maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops ta-

1) Ita locum ex libris restituit Goerenzius. Vulgo minus probabiliter: *in orationibus autem multus et ineptus ad summam impudentiam.* Ceterum, ut dicunt interpretes, *Macrum* est emendatio Sigonii; nam libri *acrum*, *atium*, *actum*. Fulv. autem Ursinus auctor est *Macrum* se repperisse emendatum in libro quem cum MS. contulerat vir doctus.

men: non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, gestus, et omnis actio sine lepore: at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio: ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim, sed eam, ut citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum." Eadem autem mira accuratio, quam Tullius laudat in oratore, procul dubio fuit etiam in historico; atque eum foederum tabulas librosque linteos adhibuisse, et ubi annales ab iis discreparent, diligenter annotasse, integer testis Livius est IV c. 7. 20. 23. Tum diligentia eius et religiositas perspicitur etiam ex IX, 46. Sed VII, 9 nominato Macro auctore ita Livius pergit: „Quaesita ea propriae familiae laus leviorem auctorem Licinium facit. Cum mentionem eius rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam" sqq. Denique X, 9 Macro Licinio ac Tuberoni, quos monumentorum investigatores una interdum citat, Pisonis auctoritatem praefert, quia sit annalium auctor vetustior. Dionysius eum et Cn. Gellium ut parum accuratos inque temporibus computandis negligentes scriptores exhibet: cf. lib. VI p. 349 et VII p. 417. Sed tamen lib. I pag. 6 extr. refert nostrum inter ἐπαινουμένους Ῥωμαίους, quos ad historiam scribendam consultaverit. Omnino autem, quod intelligitur etiam ex Macrobio et Censorino et scriptore lib. de orig. gent. Rom., ipse res indagavit et a ceteris historicis saepius dissensit. Quanquam, quod apud Censorinum annum vertentem statim ab initio duodecim mensium fuisse prodidit, in errorem incidit; non unus tamen, sed simul cum eo Fenestella alioquin optimus auctor, qui ea in re Macri auctoritatem secutus videtur. Denique dicendi genus paucis

quidem licet absolvere, cum quae huc faciunt Ciceronis testimonia ante iam commemorata sint.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Licinius Macer annali libro primo auspicia pulchra et luculenta commemorat. *(Non. luculentum. Fortasse de Romulo et Remo.)*

Licinius Macer in I annal.: Non minimo opere milites quietes volebant esse. *(Priscian. VI p. 704 ed. Putsch.)*

Macer historiarum libro primo Faustuli coniugem Accam Larentiam Romuli et Remi nutricem fuisse confirmat. Hanc regnante Romulo Carucio cuidam Tusco diviti denuptam, auctamque hereditate viri, quam post Romulo, quem educasset, reliquit; et ab eo Parentalia diemque festum pietatis caussa statutum. *(Macrob. I cap. 10.)*

At vero Marcus Octavius et Licinius Macer tradunt Amulium patruum Reae sacerdotis amore eius captum, nubilo coelo obscuroque aere, cum primum illucescere coepisset, in usum sacrorum aquam petenti insidiatum, in luco Martis compressisse eam: tum exactis mensibus geminos editos. Quod cum comperisset, celandi facti gratia per scelus concepti necari iussit sacerdotem, partum sibi exhiberi. Tumque Numitorem spe futurorum, quod hi, qui adolevissent, iniuriarum suarum quandoque ultores futuri essent, alios pro eis subdidisse, illosque suos veros nepotes Faustulo pastorum magistro dedisse nutriendos. *(Auct. lib. de or. g. R. cap. 19. Vulgo ref. ad fr. incerta.)*

At vero Licinius Macer lib. I docet, contentionis illius perniciosum exitum fuisse. Namque ibidem obsistentes Remum et Faustulum interfectos. *(Auct. lib. de or. g. R. c.* 23 § 5.*)*

Macer quidem Licinius eius rei *(intercalationis)* originem Romulo assignat. *(Macrob. I,* 13 *sub. fin. Vulgo ref. ad fr. incerta.)*

Annum vertentem Romae Licinius quidem Macer, et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt. Sed magis Iunio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse. *(Censorin. de d. n. cap.* 20 *init. Vulgo ref. ad fragm. incerta.)*

Ὡς δὲ οἱ περὶ Δικίννιον γράφουσιν, οὐ μετὰ Ῥωμύλου παραγενόμενος, οὐδὲ χάριν ἱερῶν, ἀλλὰ μόνος, ὡς πείσων τοὺς ἀδικηθέντας ἀφεῖναι τοῖς δεδρακόσι τὴν ὀργήν. ἀγανακτήσαντός τε τοῦ πλήθους ἐπὶ τῷ μὴ παραδεδόσθαι σφισὶ τοὺς ἄνδρας, ὥστε Ῥωμύλος ἐδικαίωσε καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων ἔκρινε βουλὴ, καὶ τῶν προσηκόντων τοῖς τεθνεῶσι κατὰ πλῆθος ὁρμησάντων ἐπ' αὐτὸν, ἀδύνατος ὢν ἔτι διαφυγεῖν τὴν ἐκ χειρὸς δίκην, καταλευσθεὶς ὑπ' αὐτῶν ἀποθνήσκει. *(Dionys. lib. II p.* 115; 30; *cap.* 52. *De morte Tatii. Vulgo ref. ad fragm. incerta.)*

LIB. II.

Licinius Macer annal. libro secundo: Nequaquam sui lavandi reluant arma lue. *(Non. lues.)*

C. Licinius in II: Perversum esse alii modi postulare. *(Prisc. VI p.* 694.*)* [2])

---

2) Priscian. XIII p. 960 ed. Putsch. habet: *Quintus in II: perversum esse eis alii modi postulare Pyrrhum in te, atque*

LIB. XVI.

Aemilius Macer in XVI annalium: Omnium nostrum neglegerit auctoritatem, pro neglexerit, ait. *(Prisc. X p.* 895 *et Diomed. I p.* 366.)[3])

LIB. XXI.

Licinius rerum Romanarum libro XXI: Deligat ad patibulos; deligantur, et circumferuntur, cruci defiguntur. *(Non. patibulum.)*

INCERTA.

Licinio placet a Mesappo Graeco Mesappiae datam originem, versam postmodum in nomen Calabriae, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominarat. *(Solinus cap.* 8. *Rettulerim ad lib. primum.)*

Licinius Macer: Quo die magistratum obiit, repente celeri gradu per forum se in capitolium contendit. *(Non. contendere.)*

Licinius in Marte: Pars magna laevis clypea portant. *(Non. clypeus, neutro. Pro* in Marte *lege* Macer.)

---

in ceteris fuisse. Hunc locum vulgo ad Q. Claudium Quadrigarium rettulerunt. Ambigo, num Claudius Licinium Macrum auctorem habuerit, an uterque Prisciani locus ad Macrum potius vel Clodium Licinum pertineat. Libentius tribuerim Macro.

3) Eo utroque loco pro *Aemilius Macer* legendum est *Licinius Macer*. Nostro plerumque perperam vindicatur Ornithogonia, laudata a Nonio in *prosecta*, quae tamen est Aemilii Macri, cuius meminit Charisius lib. I pag. 49. 55. 78. 82. 108 ed. Putsch. Ad Aemilium Macrum refer etiam Plin. XXXII, 1 et 2. Ceterum locum ex lib. XVI Meyerus in fragm. orat. Rom. pag. 176 rettulit ad Macri orationes, laudans Diomed. p. 61.

T. Quinctius Barbatus interrex consules creat L. Papirium Mugillanum, L. Sempronium Atratinum. His consulibus cum Ardeatibus foedus renovatum est; idque monumenti est, consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inveniuntur; credo, quod tribuni militum initio anni fuerunt, eo, perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his consulibus, praetermissa nomina consulum horum. Licinius Macer auctor est, et in foedere Ardeatino, et in linteis libris ad Monetae inventa. *(Livius IV, 7 extr. A. U. C. 310.)*

— prope sacrilegium ratus sum, Cosso *(trib. mil.)* spoliorum suorum Caesarem, ipsius templi auctorem, subtrahere testem. Qui si ea in re sit error, quod tam veteres annales, quodque magistratuum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores, nono post demum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossum consulem habeant, existimatio communis omnibus est. *(Livius IV, 20. A. U. C. 316.)*

Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur: neuter tribunos militum eo anno fuisse, traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet: et Tubero incertus veri est. Sed inter cetera, vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. *(Livius IV, 23 init. A. U. C. 320.)*

Dictatorem T. Quinctium Pennum eo anno fuisse, satis constat, et magistrum equitum Ser. Cornelium

Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habendorum caussa et ab Licinio consule dictum scribit, quia, collega comitia bello praeferre festinante, ut continuaret consulatum obviam eundum pravae cupiditati fuerit. Quaesita ea propriae familiae laus leviorem auctorem Licinium facit. Cum mentionem eius rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam, magis, ut belli Gallici caussa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. *(Livius VII*, 9. *A. U. C.* 390.*)*

Macer Licinius tertia etiam clade quae ad Cremeram accepta est, abominandam eam *(Fauciam)* curiam facit. *(Livius IX*, 38 *extr.)*

Eodem anno Cn. Flavius Cn. filius scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, aedilis curulis fuit. Invenio in quibusdam annalibus, cum appareret aedilibus, fierique se pro tribu aedilem videret, neque accipi nomen, quia scriptum faceret: tabulam posuisse et iurasse, se scriptum non facturum. Quem aliquanto ante desisse scriptum facere, arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniae deducendae. *(Livius IX*, 46 *princ. A. U. C.* 450.*)*

Itaque eam infectam rem M. Fulvius Paetinus, T. Manlius Torquatus novi consules acceperunt. In eum annum cum Q. Fabium consulem non petentem omnes dicerent centuriae, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum: eo anno maiori se usui rei publicae fore, urbano gesto magistratu. Ita nec dissimulantem, quid mallet, nec petentem tamen aedilem curulem cum L. Papirio Cursore factum. Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso

effecit, qui *sqq. (Livius X,* 9. *A. U. C.* 455. *Rettulerim locum ad lib. II, dummodo in eo de Pyrrho dixerit.)*

Tarquinius Priscus παραγίνεται δὲ εἰς Ῥώμην Ἄγκου Μαρκίου βασιλεύοντος, ὡς μὲν Γέλλιος ἱστορεῖ, κατὰ τὸν πρῶτον ἐνιαυτὸν τῆς βασιλείας· ὡς δὲ Λικίννιος γράφει, κατὰ τὸν ὄγδοον. *(Dionys. IV p.* 211 *lin.* 40 *cap.* 6. *Fortasse ex lib. primo.)*

Ἐμοὶ μὲν δὴ παρ' αὐτῶν Ἑλλήνων δοκοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ παράδειγμα λαβεῖν, ὥσπερ ἔφην· Λικίννιος δὲ παρ' Ἀλβανῶν οἴεται τὸν δικτάτωρα Ῥωμαίους εἰληφέναι, τούτους λέγων πρώτους μετὰ τὸν Ἀμυλλίου καὶ Νομίτωρος θάνατον, ἐκλειπούσης τῆς βασιλικῆς συγγενείας, ἐνιαυσιαίους ἄρχοντας ἀποδεῖξαι, τὴν αὐτὴν ἔχοντας ἐξουσίαν τοῖς βασιλεῦσι, καλεῖν δὲ αὐτοὺς δικτάτωρας. *(Dionys. lib. V cap.* 74 *p.* 337 *lin.* 32.*)*

Τότε πρῶτον, ὡς Λικίννιος ἱστορεῖ, τοῦτον ἐξευρούσης τὸν θρίαμβον τῆς βουλῆς. *(Dionys. l. V p.* 314 *lin.* 4 *c.* 47. *De ovatione inventa Menenii tempore.)*

Λικίννιος μὲν γὰρ καὶ οἱ περὶ Γέλλιον οὐδὲν ἐξηκόντες *cet. (Dionys. VI p.* 349 *lin.* 14 *cap.* 11. *Vide Cn. Gellium.)*

Τύραννοι δὲ τότε κατὰ πολεῖς *sqq. (Dionys. VII p.* 417 *lin.* 35 *cap.* 1. *Vide Cn. Gellii fragmenta pag.* 208.*)*

PRO TUSCIS.

Licinius Macer pro Tuscis: Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt. *(Prisc. X p.* 900.*)*

EPISTOLA AD SENATUM.

Licinius Macer in epistola ad senatum: Illi suam vitam mecum contendunt, quorum in corpore ita crebra sunt vulnera vitae, novae cicatrici ut locus non sit. *(Nonius: contendere.)*

Q. CLAUDIUS QUADRIGARIUS.[1]).

De aetate Q. Claudii Quadrigarii locus superest Velleii II, 9: „Vetustior Sisenna fuit Coelius: aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias." Ex Cic. Brut. c. 64 init. et c. 88 init. coniicitur, Sisennam ferme a. 635 natum esse, P. Rutilius Rufus natus est ferme a. 602; Valerius Antias praetor fuit a. 676, natus ferme a. 640. Claudius Quadrigarius de septimo consulatu Marii (a. 668) dixit libro undevigesimo; sed cum citetur eius liber vigesimus tertius, videtur saltem finem belli Sullani (a. 672) vel etiam Sullae mortem (a. 675) narrasse, ita ut a. 600 vel 610 natus homo fere septuagenarius mortuus videatur. Claudius, qui fuit tribunus plebis a. 536, et a. 546 praetor, historici facile avus videri potest. Cognomen noster inde forsitan traxerit, quod post Sullanam victoriam institutis Circensibus, in iis, qui currus agitabant, excelluit, de qua re vide Ascon. in Cic. or. in toga candida. Incertum est, num noster Claudius C. Acilii Graecos annales verterit: cf. p. 84 sqq. Sed tamen unum esse atque eundem hominem, non possum adduci ut

---

1) De Q. Claudio Quadrigario patrio sermone disputavit Giesebrechtius in programmate gymnasii Prenslaviensis a. 1831.

credam, cum Livius XXV, 39 et XXXV, 14 Acilianorum annalium interpretem a Quadrigario distinguere videatur. Pari modo a nostro diversus est Clodius Licinus, etsi non ubique licet accurate ab eo discernere. Sigonius (ad Liv. XXV, 39) Livianum *Claudium, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit*, a Quadrigario seiunxit, eumque plures secutos esse video. Alii eundem et unum censuerunt: alii rem ut parum exploratam in incerto reliquerunt. Sigonius vero quod Claudium, qui annales Acilianos vertit, Clodium Licinum putavit, videtur in errorem incidisse.[2]) Claudii Quadrigarii modo annales laudantur (Gell. Macrob. Non.

---

2) Giesebrechtius in programmate ante citato Q. Claudium Quadrigarium eundem putat, qui commemoratur a Livio XXV, 39 et XXXV, 14, quos locos transscriptos vide pag. 86. Priore loco Livius ita: *Ad triginta septem milia hostium caesa auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit.* Censet homo doctus Liviana verba *qui — vertit* tanquam in transitu, non eo consilio addita esse, ut Claudius ille ab alio homine eiusdem nominis (a Q. Claudio Quadrigario) distingueretur, praesertim cum Livio, si distinguere eos voluisset, scribendum fuisset: is *qui — vertit;* idque verbum sit in nullo codice inveniri. Pronomine is opus fuisse, non perspicio. Miratur tamen ipse dicendi genus: *qui annales Acil. — vertit* pro: *qui nihil aliud quam annal. Acil. in hac re* cet., quam interpretandi rationem improbo, quemadmodum ipse Giesebrechtius Quadrigarium intelligens offendit in additamento: *qui annal. Acil. — vertit.* Maiorem probabilitatis speciem habet, quod dicit de loco Livii XXXV, 14: *Claudius, secutus Graecos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuisse legatione tradit* sqq., quo loco ad suam explicationem magis idoneo imprimis nititur, quemque a doctis hominibus prae altero XXV, 39 neglectum animadvertit. Contendit autem verba *secutus Gr. Acil. lib.* adiecta esse ad explicandum verbum *tradit*, queriturque in re diiudicanda sermonis usum ab omnibus prae-

Prisc. Serv.), modo historiae (Diomed. fr. lib. VIII), modo rerum Romanarum libri (Non. s. v. pristis). Giesebrechtius quidem rerum Romanarum libros, quorum duodecimum citat Nonius, derogat nostro, quod et titulus et argumentum fragmenti librum res antiquitatis proprias continuisse designet; cumque non duo, ut ait, ampliora opera nostro tribuenda videantur, apud Nonium s. v. *pristis* Clodium Licinum intelligit, ad eundemque refert locum, quem ad Licinium Macrum rettuli, apud Non. s. v. *patibulum*, ubi in edit. Merceri laudatur *Licinius rerum Romanarum libro XXI.* At Nonii locus s. v. *pristis* non est ita comparatus, ut antiquitatum scriptorem neces-

---

termissum: nam illud *sequi libros Graecos* offendere de interprete, dicique a Livio innumerabilibus locis pro: superioris scriptoris auctoritate niti, eiusque narrationem repetere. Sed ut missos faciam locos illos innumerabiles (non enim ille innumerabilibus locis ad scriptorum auctoritatem provocat, nedum totiens ea de re *sequi* dicit): id quidem de interprete multo videtur facilius intelligi ac ferri posse, quam in altero loco XXV, 39 verba *qui — vertit* cum Giesebrechtio interpretari, in quibus interpretandis ipse sibi non satisfecit. Contra mihi Livius verbis *qui — vertit* accuratius videtur voluisse auctorem significare, et discernere a Claudio Quadrigario. Tum quod adiicit Giesebrechtius, priore Liviano loco XXV, 39 Claudium illum cum Antiate magnos numeros tradentem afferri, quemadmodum interdum Claudius Quadrigarius in eiusmodi re cum eodem scriptore citetur: non inde confirmatur eius opinio Quadrigarium intelligendum esse; contra ex nostra sententia magni numeri error Graecis Acilii annalibus est imputandus. Nec ulla ratione sentio, quod sensit Giesebrechtius, in loco Liv. XXXV, 14 Quadrigarii inesse loquacitatem. Postremo quod attinet ad *Paulum Claudium* apud Appianum in Celt. fr. 3, vix ausim equidem referre ad Claudium Quadrigarium; Lachmannus autem in lib. de font. Livii p. 36 coniecit Πουβλίῳ τῷ Κλωδίῳ, intellexitque Clodium Licinum: cf. p. 213.

[illegible] intelligamus, nec [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] notum est veteres historicos [illegible] [illegible] etiam in annalibus scripsisse, quorum e numero unum nominatim ediderit Varro: cf. p. 1[illegible]. Denique quod ad ipsum titulum rerum Romanarum pertinet, scriptores in libris citandis minus accuratos esse constat, minimeque inconstantiam videtur in Nonio. Ita etiam quod Polybius Q. Fabii Pictoris annales [illegible] [illegible] appellat, nonnulli hoc argumento usi sunt, ut in duos Q. Fabii libros coniecturam facientes sententiam suam comprobarent: cf. p. 44 et 45. Sed citantur a Nonio etiam commentarii Pictoris, qui rectius appellandi erant annales: cf. p. 141; et (Servii) Fabii Pictoris annales, quos vocat Gellius, Nonius appellat rerum gestarum libros: cf. p. 45 et 134. Item P. Sempronii Asellionis *historiae* et *libri rerum gestarum* commemorantur: cf. p. 217. Quae cum se sic habeant, nec codicum obstet auctoritas, in tam obscuris rebus non videtur quicquam iudicari posse, quod a sententia nostra abhorreat. Descripsit noster res Romanas inde a bello Gallico, fortasse ad Sullae mortem, ut principio huius commentationis monui. Exorsus est igitur, unde clariora certioraque, velut ab stirpibus laetius feraciusque renata urbe, gesta domi militiaeque exponi licuit (Liv. VI, 1). Libro autem primo comprehensae res erant inde a Gallorum incursione urbeque incensa (a. 364), fortasse usque ad Samnites devictos. In secundo, dummodo recte nostro fragmentum vindicetur, meminerat Pyrrhi, quo de copiosius egit libro tertio. Eodem tertio libro coepit scribere de bellis Punicis, quorum secundum, libris quinto sextoque comprehensum, latius exposuit, ut sexto vix libro referret quae apud Livium libro vigesimo quarto leguntur: cf. Non.

s. v. delectare, et Gell. II, 2; a. u. c. 541. De clade Cannensi, a. 538, disputavit libro quinto: de certamine Taureae Campani, a. 539, libro sexto. Octavo disseruit de bellis Achaico, Lusitano, Numantino: undevigesimo libro de Piraei oppugnatione, Mariique aequalis sui septimo consulatu, a. 668; desiit autem, si coniecturae locus est, in morte Sullae enarranda, a. 675; saltem librum vigesimum tertium commemorat Gellius. Tum quanta ubertate res descripserit, ostendunt fragmenta; atque Livius aliqua omisit, quae rettulit noster apud Gellium V, 17; Macrob. I, 16; quaeque alii scriptores reliquerant, ea Livius apud nostrum interdum invenit VIII, 19 extr. et XXXVIII, 41 extr. Adde Macrob. I, 16, fragm. lib. V, qui fatetur: *Sed nos nihil super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto* cet. Pyrrhi medicum Claudius Niciam, non Timocharem, ut alii, appellavit (fr. lib. III); fortissimumque tribunum, qui bello Punico primo voluntariam mortem obiit, Valerium nominavit, non Caedicium, ut Cato, nec Calpurnium, ut Livius (fr. lib. III). Polybii auctoritate magnopere nisum esse, parum videtur credibile; certe XXXIII, 10 Claudio Livius Polybii testimonium opponit. Neque arbitror iniustius nostrum expatiatum esse in laudes Claudii Marcelli gentilis sui, quemadmodum ab eiusmodi reprehensione, quod suis locis exposui, liberi videntur etiam Q. Fabius Pictor et Q. Valerius Antias.[3]) Deinde ut vi-

3) Livius tamen de C. Licinio Macro VII, 9: „Quaesita ea propriae familiae laus leviorem auctorem Licinium facit. Cum mentionem eius rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam, magis, ut belli Gallici caussa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus.“

deamus, quanti nostrum Livius fecerit, VI, 42 pluribus auctoribus magis credit; IX, 5 eum refellit, neque sequitur VIII, 19; X, 37; XXXIII, 10; XXXVIII, 23, quanquam XXXIII, 10 error manavit ex Alcaei epigram. apud Plut. in Flamin. c. 9. Denique XLIV, 15 simpliciter dicit, quid a ceteris dissentiens rettulerit. Verumtamen procul dubio multa ei Livius debet,[4]) neque, cum modo allatis locis parum ei fidei tribuerit, mendax scriptor putandus est, sed contra in perscrutandis rebus diligens et accuratus, quippe laudatus plerumque, ubi a ceteris historicis discrepavit. Atque haec hactenus de fide: Dionysius enim et Plutarchus, quod admirere, licet non plane spresse videantur, non tamen diserte ad auctoritatem nostri provocant; ac ne Cicero quidem de legg. I, 2 et de orat. II, 12 mentionem eius habet. Gellius vero, Macrobius aliique de priscis fere verbis deque orationis praestantia dicunt, eamque laudibus efferunt. Et Gellius quidem ait IX, 13 § 4 et 5: „Q. Claudius primo annalium purissime atque illustrissime, simplicique et incompta orationis antiquae suavitate de-

4) Livius tacito Claudium sequitur VII, 10: *Armatum adornatumque adversus Gallum stolide laetum, et quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est, linguam etiam ab irrisu exerentem, producunt.* Claudius apud Gellium IX, 13 § 6, fragm. lib. I: *Deinde Gallus irridere coepit atque linguam exertare.* Tum apud Livium VI, 42 nonnulli codices habent: — *auctor est Claudius; inclitamque in ponte pugnam — tum pugnatum.* De eadem re Claudius apud Gellium IX, 13 § 6 secundum codices quosdam: *eam congressionem factum est.* Talia vestigia apud vetustos rerum scriptores esse, suis locis admonui: plura autem fortasse reperiri possunt, et invenisse mihi videor etiam apud Suetonium et Tacitum in lib. de fontibus Suetonii pag. 4.

scripsit. Quem locum ex eo libro Favorinus philosophus cum legeret, non minoribus quati afficique animum suum motibus pulsibusque dicebat, quam si ipse coram depugnantis eos spectaret.“ Apud Gell. XIII, 28 § 2 de scribendi genere Claudius a Frontone dicitur homo iudicii elegantissimi, vir modestus ac prope cotidiani sermonis, quique non sine caussa *mortales* scripserit pro *hominibus*. Tum XV, 1 § 4 optimus et sincerissimus scriptor vocatur: cf. XVII, 2, et locum Nonii fr. lib. XVI, ubi rem ita depingit: *Equi hinnibundi inter se spargentes terram calcibus*. Oratorium aliquid ex fragmentis redolere vix dixerim, et dubitandum videtur, num fuerit orator (cf. Non. s. v. horrea). Fortasse autem in annales rettulit orationes (Priscian. lib. VI et XIII: cf. fragm. lib. II extr. coll. Non. s. v. avariter fr. lib. XXI et Gell. X, 13 extr. fragm. lib. XXIII; Nonius in Congermanescere, v. fragm. incerta); epistolas vero, ut Valerium Antiatem inclusisse historiis, diserte testatur Gellius (cf. Gell. III, 8 § 8 fragm. lib. III coll. Gell. I, 7 § 9 fragm. lib. XVIII).

FRAGMENTA.

LIB. I.

Cominius qua adscenderat, descendit, atque verba Gallis dedit. *(Gell. XVII, 2 § 24 coll. Liv. V, 46. A. U. C. 364.)*

Cum iis consermonabatur. *(Gell. XVII, 2 § 17.)*

Convalles et arboreta magna erant. *(Gell. XVII, 2 § 25.)*

Putabant eos, qui foris atque qui in arce erant, inter se commutationes et consilia facere. *(Gell. XVII, 2 § 26.)*

Seve ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse. *(Gell. XVII,* 2 § 18.*)*

Nam M. Manlius, quem capitolium servasse a Gallis supra ostendi, cuiusque operam cum M. Furio dictatore apud Gallos cumprime fortem atque exuperabilem res publica sensit, is et genere, et vi, et virtute bellica nemini concedebat. *(Gell. XVII,* 2 § 14.*)*

Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter praecellebat: ut facile intelligeretur magnum viaticum ex se, atque in se ad rem publicam evertendam habere. *(Gell. XVII,* 2 § 13.*)*

Postquam nuntiatum est, ut pugnatum esset in Gallos, id civitas graviter tulit. *(Gell. XVII,* 2 § 12.*)*

Q. Claudius primo annalium purissime atque illustrissime, simplicique et incompta orationis antiquae suavitate descripsit. Quem locum ex eo libro Favorinus philosophus cum legeret, non minoribus quati afficique animum suum motibus pulsibusque dicebat, quam si ipse coram depugnantis eos spectaret. Verba Q. Claudii, quibus pugna ista depicta est, adscripsi: Cum interim Gallus quidam nudus praeter scutum et gladios duos torque atque armillis decoratus processit: qui et viribus et magnitudine et adolescentia simulque virtute ceteris antistabat. Is maxime proelio commoto atque utrisque summo studio pugnantibus manu significare coepit, utrinque quiescerent pugnae. Facta pausa est. Extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat, si quis secum depugnare vellet, uti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem facies. Deinde Gallus irridere coepit atque linguam exertare. Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio, summo genere nato, tantum

flagitium civitati accidere, e tanto exercitu neminem prodire. Is, ut dico, processit: neque passus est virtutem Romanam a Gallo turpiter spoliari, scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit. Metu magno ea congressio in ipso ponte, utroque exercitu inspectante, facta est. Ita, ut ante dixi, constiterunt. Gallus sua disciplina scuto proiecto cantabundus: Manlius animo magis, quam arte, confisus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scutum scuto percutit, atque de loco hominem iterum deiecit: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico pectus hausit: deinde continuo humerum dexterum eodem concessu incidit, neque recessit usquam, donec subvertit, ne Gallus impetum icti haberet. Ubi eum evertit, caput praecaedit: torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. Quo ex facto ipse posterique eius Torquati sunt cognominati. *(Gell. IX,* 13 § 6. *Liv. VII,* 9. *Eutrop. II,* 11.*)*

Claudius Quadrigarius describens Manlii Torquati pugnam: Ubi eum evertit, caput praecidit, torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. *(Nonius: Torquem.)*

Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen auctor est Claudius; inclitamque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum, cum quo provocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum caesum torque spoliavit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor, ut credam, decem haud minus post annos ea acta: hoc autem anno in Albano agro cum Gallis, dictatore M. Furio signa collata. *(Livius VI,* 42. *A. U. C.* 387.*)*

Aut rursus quid esse id dicemus, quod in primo

annali Quadrigarii scriptum est, Gaium Pontium Samnitem a dictatore Romano sex horarum inducias postulasse. *(Gell. I,* 25 § 6.*)*

Claudius Quadrigarius in primo annali: Ea Lucani ubi resciverunt, sibi per fallacias verba data esse. *(Gell. II,* 19 § 7.*)*

Id ubi resciverunt propinqui obsidum, quos Pontio traditos supra demonstravimus: eorum parentes cum propinquis capillo passo in viam provolarunt. *(Gell. II,* 19 § 8. *Cf. Liv. IX,* 10.*)*

Prius animadversum in eos, qui capita coniurationis fuerant, a consule scribit Claudius: ad trecentos quinquaginta ex coniuratis vinctos Romam missos; eamque deditionem ab senatu non acceptam, quod egentium atque humilium poena defungi velle Fundanum populum censuerint. *(Livius VIII,* 19 *extr. A. U. C.* 424 *L. Papirio Crasso II, L. Plautio Venno coss. Vulgo ref. ad incerta.)*

Itaque non, ut vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit, foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. Quid enim aut sponsoribus in foedere opus esset aut obsidibus, ubi praecatione res transigitur? per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, ut eum ita Iuppiter feriat, quemadmodum a fetialibus porcus feriatur. Spoponderunt consules, legati, quaestores, tribuni militum; nominaque omnium, qui spoponderunt, extant; ubi, si ex foedere acta res esset, praeterquam duorum fetialium, non extarent; et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam sexcenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. *(Livius IX,* 5 *princ. A. U. C.* 433. *Vulgo ref. ad fragm. incerta.)*

Persuadenti cuidam adolescenti Lucano, qui apprime summo genere natus erat, sed luxuria et

nequitia pecuniam magnam consumpserat. *(Gell. VII*, 11 § 7.*)*

Cum tantus arrabo penes Samnites populi Romani esset. *(Gell. XVII*, 2 § 21.*)*

Ea dum fiunt, Latini, subnixo animo. *(Gell. XVII*, 2 § 4.*)*

Et Latini subnixo animo ex victoria inerti, consilium ineunt. *(Nonius: Subnixum. Sed ap. Non. perperam Coelius auctor dicitur. Spectat fortasse ad Liv. VIII*, 3.*)*

Arma plerique abiiciunt, atque inermi illatebrant sese. *(Gell. XVII*, 2 § 3. *Nonius s. v. illatebrare, sed ibi male Coelius pro Claudio.)*

Domus suas quemque ire iubet, et sua omnia frunisci. *(Gell. XVII*, 2 § 5. *Nonius s. v. frunisci, sed ibi perperam Coelius pro Claudio.)*

Et Romani multis armis, et magno commeatu, praedaque ingenti copiantur. *(Gell. XVII*, 2 § 9. *Nonius s. v. copiantur; sed ibi falso Coelius pro Claudio. Cf. p.* 191.*)*

Sole occaso. *(Gell. XVII*, 2 § 10.*)*

Nos in medium relinquemus. *(Gell. XVII*, 2 § 11.*)*

Nihil sibi divitias opus esse. *(Gell. XVII*, 2 § 15.*)*

Nam haec maxime versatur deorum iniquitas, quod deteriores sunt incolumiores: neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare. *(Gell. XVII*, 2 § 16.*)*

Miserrimas vias exegerunt. *(Gell. XVII*, 2 § 22.*)*

Hic mimus in otiis consumptus est. *(Gell. XVII*, 2 § 23.*)*

Tanta sanctitudo fani est, ut nunquam quisquam violare sit ausus. *(Gell. XVII*, 2 § 19. *Omnia haec, quantum meminerit, ad verbum se retulisse Gellius dicit.)*

Claudius Quadrigarius I annalium: Apud aras, quae vocabantur Neptuniae. *(Serv. Aen. I v.* 108.*)*

Quadrigarius annalium libro primo: Cum non possetur decerni utrius putaretur victoria esse. *(Non. Possetur pro posset.)*

Claudius libro primo: Prius hisce auctoribus inde reticula galearia. *(Nonius: Reticulum.)*

LIB. II.

Quadrigarius annali lib. II: His desubito utriusque nuntiatur ipsorum copias adesse. *(Non. Desubito.)*

Amplexo pro amplexor, Q. Claudius in II annalium: Comprehensare suos quisque, servare, amplexare. *(Prisc. VIII pag.* 797 *ed. Putsch.)*

Quadrigarius annali libro secundo: Et qui ibi erant non ignaviter potando eum diem pro meliore habuerunt. *(Non. Ignaviter.)*

Quadrigarius annali libro secundo: Inde postquam aliquantum recessit, offendit montem, loca munita, res omnes habere quae militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum. *(Non. Offendere pro invenire.)*

Quadrigarius libro secundo: Eo consules properatim exercitum reducunt. *(Non. Properatim.)*

Quintus in II: Perversum esse eis alii modi postulare Pyrrhum in te, atque in ceteris fuisse. *(Prisc. XIII p.* 960.*)*[5])

5) Ambiguum est, num Prisciani locus XIII p. 960 pertineat ad Claudium, cui vulgo tribuitur, an ad Clodium Licinum, an ad Licinium Macrum. Ausim tamen vindicare Licinio Macro, ut dixi pag. 239. Quadrigarius tertio tantum libro videtur de Pyrrho disseruisse.

LIB. III.

Claudius quoque Quadrigarius annali tertio: Senatus autem de noctu convenire, noctu multa domum dimitti. *(Macrob. I cap. 4.)*

Quadrigarius in tertio annalium ita scripsit: Ibi occiditur mille hominum. *(Macrob. I cap. 5.)*

Quadrigarius in tertio annalium ita scripsit: Ibi occiditur mille hominum. *(Gell. I, 16 init. occiditur, non occiduntur.)*

In Claudii quoque Quadrigarii tertio annali libro verba haec esse dixit: Dum ii conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum. *(Gell. I, 7 § 9. Cf. Catonis fragm. p. 112.)*

Claudius autem Quadrigarius annali tertio non Caedicio nomen fuisse ait, sed Laberio. *(Gell. III, 7 extr. Cf. Cat. Orig. IV p. 112. a. u. c. 496.)*

Quadrigarius autem in libro tertio non Timocharem, sed Niciam adisse ad consulem scripsit, neque legatos a senatu missos, sed a consulibus, et regem populo Romano laudes atque gratias scripsisse, captivosque omnis, quos tum habuerit, vestivisse et reddidisse. *(Gell. III, 8 § 5.)*

Litteras, quas ad regem Pyrrhum super ea caussa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo: Consules Romani salutem dicunt Pyrrho regi. Nos pro tuis iniuriis continuo animo strenui, commoti inimiciter, tecum bellare studemus. Sed communis exempli et fidei ergo visum est, uti te salvum velimus; ut esset, quem armis vincere possemus. Ad nos venit Nicias, familiaris tuus, qui sibi a nobis praemium peteret, si te clam interfecisset. Id nos negavimus velle; neve ob eam rem quicquam commodi expectaret: et simul visum est, ut te certiorem

faceremus, ne quid eiusmodi, si accidisset, nostro consilio civitates putarent factum: et quod nobis non placet, pretio aut praemio aut dolis pugnare. Tu, nisi caves, iacebis. *(Gell. III,* 8 § 8: *cf. fragm. Valerii Antiatis.)*

Quadrigarius annal. lib. III: Et ita rebus praeclariter gestis Romam reverterunt. *(Non. praeclariter.)*

Quadrigarius annali libro tertio: Adeo memorari vix potestur, ut omnes simul suum quisque negotium adorti essent. *(Non. potestur pro potest.)*

Quadrigarius annalium libro tertio: Fabius de nocte coepit hostibus castra simulare oppugnare, eum hostem delectare, dum collega id caperet, quod captabat. *(Non. delectare.)*

Quadrigar. annal. lib. III: Is ubi dacium cognovit, et patria eum recordavit. *(Nonius: recordavit.)*

LIB. IV.

Quadrigarius annal. lib. IV: Item gaudium atque aegritudinem alternatim sequi. *(Non. alternatim, per vices.)*

Quadrigarius annali libro quarto: Sèd circiter horas duas gravi proelio urserunt; deinde in fugam sunt coniecti. *(Non. urgere.)*

Claudius annalium: Pluvia, imbri, lutus erat multus. *(Non. lutus. In edit. Mercer. Nonii loco deest numerus.)*

Claudius in IV historiarum: Ut videret ne respueret, verminaret litteris addivalis, quod verminatione ad cancer pervenerit. *(Prisc. VI pag.* 697 *ed. Putsch.)*[6])

6) Prisciani locum VI pag. 697 Casaubonus ad Sueton. Claud. cap. 41, tacens de Quadrigario, vindicat imperatori

Quadrigarius quarto: Inter venas saxi. *(Serv. ad Georg. I, 135.)*

LIB. V.

Quadrigarius annal. lib. V: Et dicerent castra capta esse; atque hos cohortarent, ubi maturarent. *(Non. Cohortarent.)*

— Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartum Nonas Sextiles. *(Gell. V, 17 extr.)*

Sed nos nihil super ea re scriptum invenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam vastissimam pugnae Cannensis factam refert ante diem quartum Nonas Sextiles. *(Macrob. I, 16 A. U. C. 538.)*

LIB. VI.

Quadrigarius in VI annal.: Artorius Taureae dextrum humerum sauciat, atque ita resiliit. *(Prisc. X p. 906 a. u. 539. Liv. XXIII, 8. 46. 47.)*

Posuimus igitur verba ipsa Quadrigarii ex annali eius sexto transscripta: Deinde facti consules Sempronius Gracchus iterum, Q. Fabius Maximus

---

Claudio. Etiam Diomedis verba I p. 378: *Item quod nos suspicatur, veteres ospicatur dixerunt. Claudius octavo historiarum: Flacco ospicatur*, a nonnullis imperatori tribuuntur. Libentius tamen utrumque locum, quod minus diserte indicavi etiam in lib. de fontibus Suetonii p. 63, fragmentorum collectores secutus rettulerim ad Quadrigarium. Nam quod Diomedes, qui loquitur de veteribus, p. 379 (fragm. lib. XV) annales Claudii, non historias citat, de diversis auctoribus nihil inde colligi potest: contra priore loco Diomedis p. 378, fragm. lib. VIII, Popma recte videtur intellexisse Q. Fulvium Flaccum, eum, qui cum imperio in Hispania fuit, et Celtiberos debellavit, de quo Quadrigarium octavo libro scripsisse reliqua fragmenta docent.

filius eius, qui priore anno erat consul. Ei consuli pater proconsul obviam in equo vehens venit, neque descendere voluit, quod pater erat: et, quod inter eos sciebant maxima concordia convenire, lictores non ausi sunt descendere iubere. Ubi iuxta venit, tum consul ait: Descendere iube. Quod posteaquam lictor ille, qui apparebat, cito intellexit, Maximum proconsulem descendere iussit. Fabius imperio paret: et filium collaudavit, cum imperium, quod populi esset, retineret. *(Gell. II*, 2 § 13. *A. U. C.* 541.*)*

Item in sexto annali eiusdem verba haec sunt: Paene factum est, quin castra relinquerent, atque cederent hosti. *(Gell. XVII*, 13 § 6.*)*

Quadrigarius annali lib. VI: Ne nos ad certationem censeas haec incepisse. *(Non. Censere.)*

Quadrigarius annali libro sexto: Aliquantisper pugnato nihil promovet Poenus. *(Non. Aliquantisper.)*

LIB. VII.

Claudius libro septimo: Animos eorum habentia inflarat. *Non. Habentia.)*

LIB. VIII.

Quadrigarius annali libro octavo: In eo loco populus murmurari coepit. *(Non. Murmurari pro murmurare.)*

Praeterea animadvertimus Quadrigarium in octavo annalium particula ista *(quin)* usum esse obscurissime. Ipsius verba posuimus: Romam venit; vix superat, quin triumphus decernatur. *(Gell. XVII*, 13 § 5. *Fortasse de Paulo Aemilio: Liv. XLV*, 35.*)*

Claudius in octavo annalium: qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent. *(Prisc. VII p.* 767 *ed. Putsch.)*

Idem in eodem: Ubi decreverunt, commemorant Graccho foedus prior Pompeianum non esse servatum. *(Prisc. VII p.* 767 *ed. P. a. u. c.* 621.*)*

Claudius octavo historiarum: Flacco ospicatur. *(Diomed. I p.* 378. *Popma intelligit Q. Fulvium Flaccum, qui cum imperio in Hispania fuit, et Celtiberos debellavit.)*

Nam cum Metellus praetor Achaeos, Boeotosque coniunctos duobus bellis, hoc est, primo apud Thermopylas, iterum in Phocaeis devicisset: quorum priore bello occisa esse viginti milia, secundo septem milia caesa Claudius historicus refert; Valerius Antias in Achaia pugnatum, et viginti milia Achaeorum cum duce suo Diaeo, cecidisse confirmat; Polybius Achivus, quamvis tunc in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domesticam cladem ignorare non potuit, semel in Achaia pugnatum Critolao duce asserit. Diaeum vero, adducentem ex Arcadia militem, ab eodem Metello praetore oppressum cum exercitu docet. *(Orosius hist. V,* 3. *A. U. C.* 608. *Vulgo omitt.)*

LIB. XI.

Praeterea memini, Quadrigarium in undecimo faciem pro statura totiusque corporis figura dixisse. *(Gell. XIII,* 29 *extr. Vulg. refertur ad lib. XIX. Mercer ad Non. coni.* primo *coll. Gell. IX,* 13 *intelligens Manlium.)*

LIB. XII.

Claudius rerum Romanarum libro duodecimo: Quinque pristis, navigium ea forma a marina bellua dictum est. *(Non. pristis.)*

LIB. XIII.

Verba sunt Claudii Quadrigarii ex annalium eius tertio decimo: Contione dimissa Metellus in capitolium venit cum multis mortalibus; inde cum domum proficiscitur, tota civitas eum reduxit. *(Gell. XIII cap. 28 init. Popma intelligit Q. Metellum Macedonicum.)*

LIB. XV.

Claudius annalium XV: Grundibat graviter pecus suillum. *(Diomed. I pag. 379 ed. P. Nonius in Grundire habet ita:* Claudius lib. XVI: Agni grundibant grumiter pecus suillum. *Utroque loco numerus mihi videtur corruptus, nec noster Claudius intelligendus.)*

LIB. XVI.

Claudius annalibus lib. XVI: Equi hinnibunde inter se spargentes terram calcibus. *(Non. hinnibunde pro hinnienter.)*

LIB. XVIII.

In duodevicesimo annali eiusdem Quadrigarii principium libri sic scriptum: Si pro tua bonitate et nostra voluntate tibi valetudo suppetit, est quod speremus, deos bonis benefacturum. *(Gell. I, 7 § 9.)* [7])

Claudius Quadrigarius in duodevicesimo (al. *duodecimo)* annalium tradidit, cum obsideretur Grumentum, et iam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse, et operae pretium

---

7) Est ex epistola, quam annalibus inclusit. Ita in lib. III exemplum litterarum a consulibus ad Pyrrhum regem missarum rettulit. Minus videtur credibile, quod posuit Giesebrechtius, hunc librum vel potius omnes annalium libros epistolae instar ad hominem aliquem scriptos esse.

fecisse: deinde urbe capta passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua servierant praecucurrisse, et dominam suam ante se egisse; et quaerentibus quaenam esset, dominam, et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. Eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret; deinde ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse, et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa. *(Seneca de beneficiis III,* 23. *Cf. Macrob. I,* 2. *Pertinere rem ad bellum sociale Popma censet. Vulgo ref. ad lib. XXII.)*

LIB. XIX.

Q. Claudius in undevicesimo annali, cum oppidum a Metello proconsule oppugnari, contra ab oppidanis desuper e muris propugnari describeret, ita scripsit: Sagittarius cum funditore utrimque summo studio spargunt fortissime. Sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest; nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum utrumque optime. Quare milites Metelli sauciabantur multo minus, et quod maxime opus erat, a pinnis hostis defendebant facillime. *(Gell. IX,* 1 *init.)*

Verba Quadrigarii ex eo libro haec sunt: Tum Sulla conatus est, et tempore magno eduxit copias, ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet: venit: accessit: ligna subdidit: submovit Graecos: ignem admovit: satis sunt diu conati: nunquam quiverunt incendere: ita Archelaus omnem materiam obleverat alumine; quod Sulla atque milites mirabantur; et postquam non succendit, reduxit copias. *(Gell. XV,* 1 § 7. *a. u. c.* 667 *Cn. Octavio L. Cinna coss.)*

— et Q. Claudium in libro undevicesimo: C. Marium creatum septimo consulem, dixisse. *(Gell. X c. 1 § 3. A. U. 668.)*

— Quadrigarius in annali undevicesimo verba haec posuit: C. Mari, ecquando te nostrum et reipl. miserebitur? *(Gell. XX cap. 6 § 11.)*

LIB. XXI.

Sed Q. Claudius in vicesimo primo annali insolentius paulo hac figura est ita usus: Enim cum partim copiis hominem adolescentem placentem sibi, *(Gell. X, 13 § 4.)*

Quadrigarius annali lib. XXI: Crudeliter ille, nos misericorditer; avariter ille, nos largiter. *(Nonius: avariter pro avare.)*

LIB. XXIII.

Itemque Claudii in vicesimo tertio annali verba haec sunt; Sed idcirco me fecisse, quod utrum negligentia partim magistratuum, an avaritia, an calamitate populi Romani evenisse dicam, nescio. *(Gellius X, 13 extr.)*

INCERTA.

— velim doceas nos, cur pluria sive compluria, nihil enim differt, non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro. *(Gell. V, 21 § 6.)*

Quadrigarius annalibus: Exercitu instructo pedetentim milites ducere coepit. *(Nonius: pedetentim.)*

Quadrigarius annal.: Ita per sexennium vagati, Apuliam atque agrum Campanum, quod his per militem licebat, expoliabantur. *(Nonius: Spolior pro spolio. Popma refert ad bellum Punicum.)*

Quadrigarius: Agrum Nolanum populare coeperunt. *(Nonius: populat.)*

Quadrigarius annal.: Facite exempla eorum, ut vos cum illis congermanescere sciatur. *(Nonius: congermanescere.)*

Calidius: Senatus, inquit, censuit referentibus suffetis. *(Festus: Suffes consul lingua Poenorum. Ceterum* Calidius *in ed. Dacier., sed vulgo tribuitur Claudio.)*

Claudius: Pugna acriter commissa, multis utrimque interitis. *(Priscian. IX pag.* 869 *ed. Putsch.)*

Sane Rubellius Blandus et Quadrigarius historici dicunt, Gargarum flumen vocari in finibus Thurinis. Ad illud fuisse oppidum mediocre, quod Garga nunc vicus est, quem Troes obscuri centum quinquaginta, ignoto et incerto duce, insederunt; scilicet nomine a vertice Idaeo translato, a quo civitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur. *(Servius ad Georg. I,* 103.*)*

Et huius anni parum constans memoria est. Postumium, auctor est Claudius, in Samnio captis aliquot urbibus, in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum: ab Atilio in Etruria res gestas, eumque triumphasse. Fabius ambo consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit *cet. (Livius X,* 37 *extr. A. U. C.* 460. *Fortasse ex lib. II.)*

Victi Macedones castra amiserunt, octo milia hostium eo die caesa, quinque milia capta Polybius scribit. Valerius dicit quadraginta milia trucidata. Claudius vero triginta duo milia interfecta commemorat. Sed haec varietas scriptorum utique fallacia est. *(Orosius hist. IV cap.* 20, *qui secutus est Livium.)*

Caesa eo die octo hostium milia, quinque capta. Ex victoribus septingenti ferme ceciderunt. Si Valerio quis credat, omnium rerum immodice numerum augenti, quadraginta milia hostium eo die sunt caesa; capta, ubi modestius mendacium est, quinque milia septingenti, signa militaria ducenta unum et quadraginta. Claudius quoque duo et triginta milia hostium caesa scribit, capta quattuor milia et trecentos. Nos non minimo potissimum numero credidimus, sed Polybium secuti sumus, non incertum auctorem cum omnium Romanarum rerum, tum praecipue in Graecia gestarum. *(Livius XXXIII,* 10 *extr. A. U. C.* 557. *Spectat fortasse ad septimum librum.)*

Valerius Antias quaternum milium pondo argenti vectigal in decem annos impositum regi tradit: Claudius in annos triginta quaterna milia pondo et ducenta, praesens viginti milia pondo. Idem nominatim adiectum scribit, ne cum Eumene, Attali filio, novus is tum rex erat, bellum gereret. In haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. *(Livius XXXIII,* 30. *A. U. C.* 558.*)*

In eo proelio *(Marcelli contra Insubres et Comenses)* supra quadraginta milia hominum caesa, Valerius Antias scribit: et quingenta septem signa militaria capta, et carpenta quadringenta triginta duo, et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in capitolio Iovi donum in aede positum scribit. *(Livius XXXIII,* 36 *extr. A. U. C.* 558.*)*

Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum caesa auctor est: Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. Numerus captivorum haud dubie milia quadraginta explevit,

quia omnis generis aetatisque turbam secum traxerant, demigrantium magis, quam in bellum euntium, modo. *(Livius XXXVIII,* 23. *A. U. C.* 565.*)*

Mitiores Thracas idem exercitus, cum a Scipione eadem via duceretur, habuerat, nullam ob aliam causam, quam quod praedae minus, quod peteretur, fuerat. Quanquam tum quoque Claudius auctor est, ad quindecim milia Thracum praecedenti ad exploranda loca agmen Mutini Numidae occurrisse; quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos. Mutinis filium per medios hostes cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse. Eundem mox, cum iam Mutines, in medio elephantis collocatis, in cornua equitibus dispositis, manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo praebuisse: atque inde turbatos equestri velut procella hostes ad peditum agmen non accessisse. *(Livius XXXVIII,* 41 *extr. A. U. C.* 566.*)*

Claudius nihil responsum auctor est: tantum senatusconsultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse iuberet populus Romanus, litterasque extemplo ad utramque gentem scirent indicatum mitti. Qua audita re principem legationis, cuius magniloquentiam vix curia paulo ante ceperat, corruisse. Alii responsum esse tradunt *cet. (Livius XLIV,* 15 *princ. A. U. C.* 585. *Fortasse ex lib. VII vel VIII.)*

CLAUDII ORAT. IN QUINTIUM GALLUM.

Claudius oratione in Quintium Gallum: Quorum iacent muraena, ulla horrea, curiaque et tabulariae publicae. *(Nonius: horrea feminin. Homines docti locum varie temptarunt. Indicem vero orationis sic emendat Meyerus in fragm. orat. Rom. p.* 167*:*

Calidius in oratione in Quintum Gallium. *Cf. Cic. Brut. cap.* 80. *Si est fragm. nostri Claudii, non tamen dixerim, quod statuit Giesebrechtius, hanc orationem annalibus fuisse inclusam.)*

Q. VALERIUS ANTIAS.

Quadrigarii et Sisennae Rutiliique aequalis a Velleio II, 9 dicitur Quintus Valerius Antias, Quadrigario sine dubio minor natu, scriptor mendaciis rerumque omnium imprimis numerorum amplificatione famosus. Antias autem vetus Valeriae gentis cognomen est (Liv. XXIII, 34) ab antiqua colonia desumptum, ut propter cognomen historicus noster cliens haberi non debeat (cf. Sueton. de clar. rhet. c. 3). Porro nec Antio ortus est (cf. Plin. praefat.),[1]) nec favit etiam Antiatibus (Liv. III, 5). Praetor fuit in Sicilia A. U. 676, scripsitque posthac annales (Gell. VII, 9 § 9. Priscian. VII pag. 767) sive historias (Gell. VII, 9 § 12 et § 17. VI, 7 § 6), in quibus res Romanas narravit ab urbis origine. Repetitis autem fabulis de Amulio, Rea Silvia ceterisque, secundo[2]) demum libro dixit de Numa rege, duodecimo iam, si verus est numerus, de Tiberio Graccho, C. Mancini in Hispania quaestore (a. u. c. 617); suam vero aeta-

---

1) Plinius in H. N. praefatione: „Lucubrationem, puto, qui Antias civis erat et vocabatur, Valerius primus asserit."

2) Testes sunt Macrobius et Arnobius et Plinius, ut numerus certus videatur. Cn. Gellius libro secundo dixit de raptu Sabinarum, tertio de T. Tatio. Contra L. Cassius Hemina primo, non secundo videtur de Romulo et Remo scripsisse: cf. pag. 156 et 159.

tem oppido late videtur et accurate descripsisse, cum liber septuagesimus quintus a Gellio citetur, annumque u. c. 663 Plinio teste (34 cap. 8) attigerit. Livius eum in omnibus, qui extant, annalium libris adhibuit, sed ita in fidem eius invehitur, ut raro admodum sine reprehensione nominet, multoque ceteris auctoribus leviorem testem habeat. Atque plurima huic fragmenta debemus, nec ea solum, quae apud ipsum Livium leguntur, sed quantum videtur etiam ea, quae exhibet Orosius, fortasse etiam Plutarchus, quos quidem sua ex Livii annalibus deprompsisse crediderim. De sermone contra pauca tantum affert Gellius, pauciora Charisius ac Priscianus, nec usquam meminit eius Cicero, ut cotidiana et usitata dicendi ratione usus esse videatur. Ac licet Probus dicatur annotasse (Gell. VII, 9 § 12 fragm. lib. XII) apud Valerium Antiatem scriptum inveniri *spesponderant*: tamen tantum abest, ut frequentem priscorum verborum usum Antiati tribuam, Probumve Valerianorum sive vocabulorum sive annalium [3]) interpretem statuam, ut in tanta locorum paucitate, obiter modo, quod fit a grammaticis, unum alterumve vocabulum annotatum existimem. Ceterum in fragmentorum multitudine dolendum est, quod nullum paene locum ad certos annalium libros referre licet. Sed ut dicamus de fide et auctoritate, tantam et rerum gestarum et numerorum magnitudinem attulit, ut interdum cum nemine consentiret. Gellius

3) De Paulo Coelianorum vocabulorum explicatore cf. p. 189; de Statilio Maximo Catonianorum p. 92. Nemo tamen videtur annales historicorum explicasse, vel id sibi proposuisse, ut de priscis horum scriptorum vocabulis peculiari libro dissereret.

VI, 8 extr.: „Ego his versibus credo adductum Valerium Antiatem adversus omnes ceteros scriptores de Scipionis moribus sensisse.“ Gellius VII, 19: „Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam, contraque auctoritates veterum annalium“ sqq. Idem testatur Livius, qui Valerium nec Catonis orationem (39 c. 43), nec magistratuum libros (39 c. 52) legisse dicat. Lib. 45 cap. 43: „auctorem pro re posui.“ Porro 32, 6: „Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil — tradunt.“ Cf. Liv. 33, 36. 34, 10. 40, 29 sqq. Reliquis tamen locis, ubi simpliciter Antiatem auctorem exhibet (28, 46. 37, 60. 39, 56. 41, 27), num spreverit testimonium, an fidem dederit, an denique rem ut incertam nec traditam ab aliis in medio reliquerit, eo minus ausim pro certo affirmare, cum aliquotiens revera credidisse videatur, aliis autem locis veri incertus fuerit, veluti 37, 48: „Rumoris huius, quia neminem alium auctorem habeo *(quam Antiatem)*, neque affirmata res mea opinione sit, nec pro vana praetermissa.“ Suspecta autem Livio Antiatis auctoritas fuit 44, 13: „Si Valerio Antiati credas;“ 33, 10: „Si Valerio quis credat, omnium rerum immodice numerum augenti.“ 36, 19: „Quid? si Antiati Valerio credamus?“ Reprehenditur autem potissimum, quod omnium rerum immodice numerum auxerit, nec solum in loco paulo ante allato (33, 10) eo nomine exagitatur, sed etiam 36, 38: „Ubi ut in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est, magnam victoriam fuisse apparet, quod“ sqq.; et 33, 10: „capta, ubi modestius *(Antiatis)* mendacium est“ sqq.; l. 38 c. 23: „Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet“ sqq. Tangitur deinde 26, 49: „adeo

nullus mentiendi modus est.“ Cf. 29, 35. 33, 30. 37, 60. 39, 41. Tum III, 5: „Difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto affirmare numero; audet tamen Antias Valerius concipere summas“ cet. Et 30, 19: „quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit, aut negligenter praetermissa. Itaque Valerio Pisonis (25, 39), Catonis (34, 15 et 39, 43), Polybii (33, 10) aliorumque scriptorum auctoritates nonnunquam praefert. Aequissimum autem arbitrum se ostendit 38, 55: „in L. Scipione malim equidem librarii mendum, quam mendacium scriptoris esse in summa auri atque argenti.“ Pari modo Polybius Ephorum a Timaeo reprehensum excusavit. Sed cum tale fuerit Livii de Valerii fide iudicium, quod in universum forsitan comprobandum sit: tamen, si non excusandus plane, at lenius accusandus videbitur, si quae pro nostro dicenda sint, apud animum reputare volueris. Primum enim non ex vano cuncta hausisse putandus est, sed, quod Gellius (VI, 8 extr.) significat, secutus est auctores suos; deinde Livio teste IV, 23 consentit cum Q. Tuberone, qui a Licinio Macro discrepavit, sed libros linteos auctores professus est; alio loco (39, 52) quanquam propter diversas caussas etiam Polybio Rutilioque, non soli Valerio fides abrogatur; lib. 29 cap. 35 idem memoriae prodidisse dicitur, quod bonus auctor Coelius Antipater; tum Livius in auctorum diversitate, quae est 44, 13 sqq. Valerii testimonium non despiciendum duxit, et lib. 36 cap. 38, etsi Antiati in numero parum fidei esse suspicatur, ipse tamen magnam victoriam fuisse et fatetur et comprobare etiam argumentis conatur (coll. 34, 15); denique vero quod spectat ad amplificationem numerorum, maiorem, quam Antias, numerum exhibuit interdum Claudius Quadri-

garius, quem nusquam exagitat (cf. 38, 23 coll. 33, 10), et Claudius ille, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit (XXV, 39). Censorino teste (c. 17) noster etiam res indagavit, deque ludis saecularibus Livius Antiatis rationem, a ceterorum ratione discrepantem, comprobavit (Censorin. c. 17. Liv. epit. lib. 49). Lenius igitur, quam Livius, reprehendendum Valerium puto, cum ubique fere, ubi nominat eum, odium, acerbitas suspiciove appareat, nec subscriptores approbatoresque invenerit; non tamen ausim liberare omni culpa, cum fidem exprobrent Gellius l. l. et Orosius IV, 20 et V, 3 et 16, qui quidem secutus Livium opposuit auctoritatem Polybii. Ceteri vero, quid senserint, propter testimoniorum penuriam non facile possis coniicere. A Dionysio lib. I pag. 6 extr. refertur inter τοὺς ἐπαινουμένους Ῥωμαίους, quos in componendis annalibus consultavit; deinde lib. II pag. 86 laudatur de nomine Celerum, sed discrepat ab iis, quae οἱ πλείους γράφουσιν. Sed si tam saepe dissensit a ceteris, mirari aliquis possit, quid sit, cur a Dionysio ita raro nominatim proferatur. Tum scriptor libelli de origine gentis Romanae cap. 19 opponit Antiati M. Octavium Licinniumque Macrum: etiam cap. 21 a ceteris nostrum dissensisse legimus: pari modo apud Macrob. I, 13 sqq. Verum cum eiusmodi discrepantiae, quae de nullis non scriptoribus afferri possunt, (cf. p. 94 annotat.) minoris habendae sint: moneamus potius a Plutarcho nostrum iusto parcius nominari, Ciceronem Asconio iudice Valerium in Corneliana secutum videri, secutumque Macrobio teste (I, 4) Iulium Modestum.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Amulius regnum obtinuit: quod ut firmissime possideret, Numitoris fratris sui filium in venando interimendum curavit. Tum etiam Ream Silviam eius sororem sacerdotem Vestae fieri iussit, simulato somnio, quo admonitus ab eadem dea esset, ut id fieret; cum revera ita faciendum sibi existimaret, periculosum ducens, ne quis ex ea nasceretur, qui avitas persequeretur iniurias, ut scribit Valerius Antias lib. I. *(Auct. lib. de or. g. R. cap.* 19.*)*

At vero Valerius tradit, pueros ex Rea Silvia natos Amulium regem Faustulo servo necandos dedisse: sed eum a Numitore exoratum, ne pueri necarentur, Accae Larentiae amicae suae nutriendos dedisse; quam mulierem, eo quod pretio corpus esset vulgare solita, Lupam dictam. Notum quippe ita appellari mulieres quaestum corpore facientes; unde et eiusmodi loci, in quibus hae consistunt, lupanaria dicta. Cum vero pueri liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis Graecarum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos, Numitore avo clam omnia subministrante. Itaque ut primum adolevissent, Romulum indicio educatoris Faustuli comperto, qui sibi avus, quae mater fuisset, quidque de ea factum esset, cum armatis pastoribus Albam protinus perrexisse, interfectoque Amulio Numitorem avum in regnum restitutum. Romulum autem a virium magnitudine appellatum: nam Graeca lingua ῥώμην virtutem dici certum est. Alterum vero Remum dictum, videlicet a tarditate: quippe talis naturae homines ab antiquis remores dicti. *(Auct. lib. de or. gent. Rom. cap.* 21.*)*

Ea *(Acca Larentia)* testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam autem alii tradiderunt, populum Romanum bonis suis heredem fecit. *(Gellius VI, 7 § 6. Vulgo refertur ad incerta fragm.)*

Ἁρπασθῆναι δέ φασιν οἱ μὲν τριάκοντα μόνας, ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι, Οὐαλέριος δὲ Ἀντίας ἑκτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας, Ἰόβας δὲ τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας παρθένους. *(Plutarchus in Romulo c. 14 p. 25 E. ed. Francof. De raptu Sabinarum. Vulgo refertur ad fragm. incerta.)*

LIB. II.

Valerius Antias libro secundo: Mater cum novissime aegrotasset, inquit, vovisse fertur. *(Charis. II p. 186.)*

Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum caussa id *(intercalationem)* invenisse contendit. *(Macrob. I c. 13 extr.)*

Iulius Modestus — — Antias, inquit, Agoniliorum repertorem Numam Pompilium refert. *(Macrob. I cap. 4.)*

In secundo Antiatis libro, ne quis forte nos existimet concinnare per calumnias crimina, talis perscripta est fabula: Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, essetque illi cupido noscendi, Egeriae monitu castos duodecim iuvenes apud aquam celasse cum vinculis: ut cum Faunus et Martius Picus ad id locorum venissent haustum, nam illis aquandi solemne iter huc fuit, invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parva mero vino, mulsoque complesse, circaque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam. Illos more

de solito bibendi appetitione correptos ad hospitia nota venisse. Sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus anteposuisse res novas, invasisse aviditer, dulcedine potionis captos hausisse plus nimio, obdormivisse factos graves: tum bis senos incubuisse sopitis, iniecisse maditatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse regem, quibus ad terras modis Iuppiter posset et sacrificiis elici: et accepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terras Iovem, ab eoque quaesisse ritum procurationis. Iovem diu cunctatum expiabis dixe capite fulgurita: regem respondisse, coepitio. Iovem rursus, humano: rettulisse regem, sed capillo. Deum contra, anima: piscis, subiecisse Pompilium. Tunc ambiguis Iovem propositionibus captum extulisse hanc vocem: decepisti me Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, non capillo coepitio: quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem: et his rebus, quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum. *(Arnobius V cap.* 1 *et Plut. in Numa.)*

Adiicit Antias Valerius, Pythagoricos fuisse, vulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. *(Livius XL cap.* 29. *Vulgo ref. ad incerta.)*

Οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν ἱστοροῦσι δώδεκα μὲν εἶναι βίβλους *(Numae)* ἱεροφαντικὰς, δώδεκα δὲ ἄλλας Ἑλληνικὰς φιλοσόφους εἰς τὴν σορὸν συνεθείσας. *(Plutarchus in Numa c.* 22 *pag.* 74 *E. ed. Francof. Vulgo ref. ad incerta.)*

— Varro humanarum antiquitatum VI, Antias II, duos Pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae continentes. *(Plin. H. N. XIII,* 13 *coll. Liv.* 40, 29 *et fragm. L. Cassii Heminae p.* 163.)

LIB. III.

Idem *(Antias)* tertio ponit, quo comburi eos placuerit. *(Plin. XIII,* 13.*)*

LIB. VI.

Valerius Antias in sexto annalium: Hoc senatusconsultum prior factum est. *(Prisc. VII pag.* 767 *ed. P.)*

LIB. XII.

Idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum duodecimo spesponderant scripsisse annotavit; verbaque eius haec posuit: Tiberius Gracchus, qui quaestor C. Mancino in Hispania fuerat, et ceteri, qui pacem spesponderant. *(Gell. VII,* 9 *§* 12. *A. U. C.* 617. *Libri numerus videtur corruptus, et haud scio an rectius legendum sit:* XL.*)*

LIB. XXII.

Idem *(Valer. Ant.)* XXII: Quod novissime nobiscum foedus fecissent. *(Char. II p.* 186 *ed. P.)*

LIB. XXIV.

Item in Valerii Antiatis quarto et vicesimo simili modo scriptum esse: Si hae res divinae factae riteque perlitatae essent, haruspices dixerunt, omnia ex sententia processurum esse. *(Gell. I,* 7 *§* 10.*)*

LIB. XLV.

Peposci quoque, non poposci, Valerius Antias libro annalium quadragesimo quinto scriptum reliquit: Denique Licinius tribunus plebi perduellionis ei diem dixit, et comitiis diem a M. Marcio praetore peposcit. *(Gell. VII c.* 9 *§* 9.*)*

LIB. LXXIV.

Antias in LXXIV: Eo omnes hostiae, vituli XXVII coniecti, et ita omnia adulta sunt. *(Prisc. IX p.* 872.*)*

LIB. LXXV.

Valerius Antias in libro historiarum septuagesimo quinto haec verba scripsit: Deinde funere locato ad forum descendidit. *(Gell. VII, 9 § 17.)*

INCERTA.

Velim doceas nos, cur pluria sive compluria, nihil enim differt, non Latine, sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro: quos subscriptores approbatoresque huius verbi habemus. *(Gell. V, 21 § 6.)*

Cum Pyrrhus rex in terra Italia esset, et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset, satisque agerent Romani, et pleraque Italia ad regem descivisset: tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium consulem furtim venit, ac praemium petivit, et, si de praemio conveniret, promisit regem venenis necare: id quod facile factu esse dixit, quoniam filius suus pocula in convivio regi ministraret. Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. Senatus legatos ad regem misit, mandavitque, ut de Timochare nihil proderent, sed monerent, uti rex circumspectius ageret, atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc ita, uti diximus in Valerii Antiatis historia scriptum est. Quadrigarius autem in libro tertio *cet. (Gellius III, 8 init. Cf. fragm. Claudii lib. III pag. 255.)*

His ego versibus *(Cn. Naevii)* credo adductum Valerium Antiatem adversus omnis ceteros scriptores de Scipionis moribus sensisse; et eam puellam captivam non redditam patri scripsisse, contra quam nos supra diximus, sed retentam a Scipione, atque

in deliciis amoribusque ab eo usurpatam. *(Gell. VI, 8 extr.)*

Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam, contraque auctoritates veterum annalium, post Africani mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse a Tib. Graccho dixit: neque mulctam irrogatam Scipioni; sed damnatum eum peculatus ob Antiochinam pecuniam, quia praedes non daret, in carcerem duci coeptum, atque ita intercedente Graccho exemptum. *(Gell. VII, 19 extr.)*

Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio, cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur. *(Asconius Pedianus in Pisonianam ad Cic. verba: Me consequentibus diebus sqq. cap. 22 med. p. 689.)*

Factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt aediles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo: id eos fecisse iussu censorum Sex. Aelii Paeti, C. Cornelii Cethegi, et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum. *(Asconius in Cornelianam ad Cic. verba: P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum sqq. Paulo ante mediam orat. p. 961.)*

Nam ita institutum esse, ut centesimo quoque anno fierent, id cum Antias aliique historici auctores sunt, tum Varro de scenicis originibus libro primo ita scriptum reliquit *cet. (Censorinus de die nat. cap. 17. De ludis saecularibus.)*

Primos enim ludos saeculares exactis regibus post Romam conditam annis ducentis quadraginta

quinque a Valerio Publicola institutos esse, Valerius Antias ait. *(Censorinus de die nat. cap.* 17.*)*

(Secundos ludos) ut Antias vult, anno post urbem conditam CCCV. *(Censorinus c.* 17.*)*

Tertii ludi fuerunt Antiate Livioque auctoribus P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo consulibus. *(Censorinus c.* 17. *A. U. C.* 505.*)*

Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt *(quartos ludos saeculares)* L. Marcio Censorino, M'. Manilio consulibus, post Romam conditam anno DCV. *(Censorinus c.* 17.*)*

Quin et repentinos existere ignes, et in corporibus etiam humanis. Trasimenum lacum arsisse totum: Servio Tullio dormienti in pueritia ex capite flammam emicuisse: L. Marcio in Hispania interemptis Scipionibus concionanti, et milites ad ultionem exhortanti, arsisse simili modo, Valerius Antias narrat. *(Plinius H. N. II,* 107 *coll. Liv. XXV,* 39.*)*

Praeterea auctor est Antias, oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege; ex cuius praeda is capitolium in fine refecerit. *(Plinius III,* 5.*)*

Antias quidem L. Crassum heredem L. Crassi oratoris multa etiam triclinia aerata vendidisse. *(Plinius XXXIV cap.* 8 *init.)*

Ὄνομα δὲ κοινὸν ἅπαντες, ᾧ καὶ οἱ νῦν κατέστησαν, ἔσχον Κελέριοι, ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τοῦ ὀξύτητος τῶν ὑπηρεσιῶν· τοὺς γὰρ ἑτοίμους καὶ ταχεῖς ἐπὶ τὰ ἔργα, Κέλερας οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσιν· ὡς δὲ Οὐαλέριος ὁ Ἀντίας φησὶν, ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος τοῦτ' ἔχοντος τοὔνομα. *(Dionysius lib. II pag.* 86 *lin.* 35 *ed. Sylburg. Fortasse ex libro primo.)*

Οὐαλέριος δὲ Ἀντίας οὐκ ἐρωμένῳ φησὶν ἀλλ' ἐρωμένῃ τοῦτο χαρίσασθαι τὸν Λεύκιον. ὁ δὲ Λίβιος

sqq. (Plutarchus in Flaminino pag. 379 C. ed. Francof. coll. Valer. Max. II, 9 § 3.)

Magnae clades ultro citroque illis diebus et illatae et acceptae. Difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto affirmare numero; audet tamen Antias Valerius concipere summas: Romanos cecidisse in Hernico agro quinque milia ac trecentos; ex praedatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus Romanis vagabantur, ab A. Postumio consule duo milia et quadringentos caesos; ceteram multitudinem praedam agentem, quae inciderit in Quinctium, nequaquam pari defunctam esse caede. Interfecta inde quattuor milia, et, exequendo subtiliter numerum, ducentos ait et triginta. *(Livius III, 5. A. U. C. 290.)*

Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur: neuter tribunos militum eo anno fuisse, traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie linteos sequi placet: et Tubero incertus veri est. Sed inter cetera, vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. *(Livius IV, 23 init. A. U. C. 320.)*

Ad triginta septem milia hostium caesa, auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem vertit: captos ad mille octingentos triginta: praedam ingentem partam. In ea fuisse clipeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barcini Hasdrubalis. Valerius Antias una castra Magonis capta tradit, septem milia caesa hostium: altero proelio, eruptione pugnatum cum Hasdru-

bale: decem milia occisa, quattuor millia trecentos triginta captos. Piso quinque milia hominum, cum Mago cedentes nostros effuse sequeretur, caesa ex insidiis scribit. Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est; et verae gloriae eius etiam miracula addunt: flammeam ei concionanti fusam e capite, sine ipsius sensu, cum magno pavore circumstantium militum; monumentumque victoriae eius de Poenis, usque ad incensum capitolium, fuisse in templo clipeum, Marcium appellatum, cum imagine Hasdrubalis. *(Livius XXV,* 39 *sub fin. A. U. C.* 542. *Cf. pag.* 277 *fragm. ex Plin. II,* 107.*)*

Tum obsides civitatium Hispaniae vocari iussit: quorum quantus numerus fuerit, piget scribere, quippe cum alibi trecentos ferme, alibi septingentos viginti quinque fuisse inveniam. Aeque et alia inter auctores discrepant. Praesidium Punicum alius decem, alius septem, alius haud plus quam duum milium fuisse scribit. Capta alibi decem milia capitum, alibi supra quinque et viginti invenias. Scorpiones maiores minoresque ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Graecum sequar Silenum: si Valerium Antiatem, maiorum scorpionum sex milia, minorum tredecim: adeo nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem convenit; plerique Laelium praefuisse classi; sunt, qui M. Iunium Silanum dicant. Arinem praefuisse Punico praesidio, deditumque Romanis, Antias Valerius; Magonem alii scriptores tradunt. Non de numero navium captarum, non de pondere auri atque argenti, et redactae pecuniae convenit. Si aliquibus assentiri necesse est, media simillima veris sunt. *(Livius XXVI,* 49 *init. A. U. C.* 543.*)*

Eisdem diebus naves onerarias Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui pro-

vinciae praeerat, captas, Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque montanorum captivos Carthaginem perportantes tradit. *(Livius XXVIII*, 46. *A. U. C.* 548.*)*

Duos eosdem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis interfectos, non omnes auctores sunt; veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt. *(Livius XXIX*, 36 *init. A. U. C.* 550.*)*

Haec per nuntios magis equidem acta crediderim, et ita pars maior auctores sunt, quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad colloquium venisse. *(Livius XXX*, 3. *A. U. C.* 551.*)*

Idem consul *(Cn. Servilius)* cum Hannibale in agro Crotoniensi acie conflixit. Obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quinque milia hostium caesa ait; quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit, aut negligenter praetermissa. *(Livius XXX*, 19 *extr. A. U. C.* 551.*)*

Valerius Antias primo proelio victum eum *(Hannibalem)* a Scipione, quo duodecim milia armatorum in acie sunt caesa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem venisse. *(Livius XXX*, 29. *A. U. C.* 552.*)*

Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequierit, omnibus a rege insessis, secutum vallem, per quam mediam fertur Aous amnis; ponte raptim facto, in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse: fusum fugatumque regem, castris exutum: duodecim milia hostium eo proelio caesa, capta duo milia et ducentos, et signa militaria centum triginta duo, equos ducentos

triginta. Aedem etiam Iovi in eo proelio votam, si res prospere gesta esset. Ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum, integrumque bellum insequentem consulem T. Quinctium accepisse tradunt. *(Livius XXXII,* 6 *extr. A. U C.* 555.*)*

Victi Macedones castra amiserunt, octo milia hostium eo die caesa, quinque milia capta Polybius scribit. Valerius dicit quadraginta milia trucidata. Claudius vero triginta duo milia interfecta commemorat. Sed haec varietas scriptorum utique fallacia est. Fallaciae autem caussa profecto adulatio est, dum victoris laudes accumulare, virtutumque patriae extollere vel praesentibus vel posteris student: alioquin si inquisitus non fuisset numerus, nec qualiscumque fuisset expressus. *(Orosius hist. IV,* 20. *Cf. Polyb. lib. XVII.)*

Si Valerio quis credat, omnium rerum immodice numerum augenti, quadraginta milia hostium eo die sunt caesa; capta, ubi modestius mendacium est, quinque milia septingenti, signa militaria ducenta unum et quadraginta. Claudius quoque duo et triginta milia hostium caesa scribit, capta quattuor milia et trecentos. Nos non minimo potissimum numero credidimus, sed Polybium secuti sumus *cet. (Livius XXXIII,* 10 *extr. A. U. C.* 557.*)*

Valerius Antias quaternum milium pondo argenti vectigal in decem annos impositum regi tradit: Claudius in annos triginti quaterna milia pondo et ducenta, praesens viginti milia pondo. Idem nominatim adiectum scribit, ne cum Eumene, Attali filio, novus is tum rex erat, bellum gereret. In haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. Adiicit Valerius Antias, Attalo absenti Aeginam insulam elephantosque dono

datos et Rhodiis Stratonicean, Cariae atque alias urbes, quas Philippus tenuisset: Atheniensibus insulas datas, Paron, Imbrum, Delum, Scyrum. *(Livius XXXIII, 30 extr. A. U. C. 558.)*

In eo proelio supra quadraginta milia hominum caesa, Valerius Antias scribit: et quingenta septem signa militaria capta, et carpenta quadringenta triginta duo, et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in capitolio Iovi donum in aede positum scribit. *(Livius XXXIII, 36 extr. A. U. C. 558.)*

Viginti milia armatorum fuisse, Valerius scribit; duodecim milia ex iis caesa, oppidum Illiturgi receptum, et puberes omnes interfectos. *(Livius XXXIV, 10. A. U. C. 559.)*

Valerius Antias supra quadraginta milia hostium caesa eo die scribit. Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum, multos caesos ait; numerum non adscribit. *(Livius XXXIV, 15 extr. A. U. C. 559.)*

Valerius Antias et in Siciliam navigasse delectus caussa C. Flaminium scribit: et ex Sicilia Hispaniam petentem, tempestate in Africam delatum, vagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse: his duarum provinciarum delectibus tertium in Hispania adiecisse. *(Livius XXXV, 2 extr. A. U. C. 561.)*

Nec praeter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit; etiam ex decem milibus militum, quos Polybio auctore traiecisse secum regem in Graeciam scripsimus, exiguus numerus. Quid? si Antiati Valerio credamus, sexaginta milia militum fuisse in regio exercitu scribenti, quadraginta inde milia cecidisse, supra quinque milia capta cum signis militaribus ducentis triginta? Romanorum

centum quinquaginta in ipso certamine pugnae, ab incursu Aetolorum se tuentes non plus quinquaginta interfecti sunt. *(Livius XXXVI, 19 extr. A. U. C. 563.)*

Ludique ob dedicationem eius *(aedis matris magnae Ideae)* facti, quos primos scenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos. *(Livius XXXVI, 36. A. U. C. 563.)*

Duodetriginta milia hostium caesa Antias Valerius scribit; capta tria milia et quadringentos, signa militaria centum viginti quattuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta septem: ex victoribus mille quadringentos octoginta quattuor cecidisse. Ubi ut in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est, magnam victoriam fuisse apparet, quod et castra capta sunt, et Boii post eam pugnam extemplo dediderunt sese, et quod supplicatio eius victoriae caussa decreta ab senatu, victimaeque maiores caesae. *(Livius XXXVI, 38 extr. A. U. C. 563.)*

M. Fulvio Nobiliore et Cn. Manlio Vulsone consulibus Valerius Antias auctor est rumorem celebrem Romae fuisse, et paene pro certo habitum, recipiendi Scipionis adolescentis caussa, consulem L. Scipionem et cum eo P. Africanum in colloquium evocatos regis, et ipsos comprehensos esse; et ducibus captis confestim ad castra Romana exercitum ductum, eaque expugnata et deletas omnes copias Romanorum esse. Ob haec Aetolos sustulisse animos, et abnuisse imperata facere, principesque eorum in Macedoniam et in Dardanos et in Thraciam ad conducenda mercede auxilia profectos. Haec qui nuntiarent Romam, A. Terentium Varronem et M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio propraetore ex Aetolia missos esse.

Subtexit deinde fabulae huic, legatos Aetolos in senatu inter cetera hoc quoque interrogatos esse: unde audissent, imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege, et exercitum deletum esse; Aetolos respondisse, ab suis legatis se, qui cum consule fuerint, certiores factos. Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque affirmata res mea opinione sit, nec pro vana praetermissa. *(Livius XXXVII, 48. A. U. C. 565.)*

Valerius Antias ad quattuor milia captivorum, quia belli minas timuerunt, ex tota insula reddita scripsit: eamque caussam Fabio, cum rem nullam aliam gessisset, navalis triumphi impetrandi ab senatu fuisse. *(Livius XXXVII, 60. A. U. C. 565.)*

Numerus interfectorum haud facile iniri potuit, quia late inter omnes amfractus montium fugaque et caedes fuit: et magna pars rupibus inviis in profundae altitudinis convalles delapsa est, pars in silvis vepribusque occisa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum caesa auctor est: Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. *(Livius XXXVIII, 23. A. U. C. 565.)*

P. Scipioni Africano, ut Valerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt. *(Liv. XXXVIII, 50 med. A. U. C. 567.)*

Quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse, quam in aerarium rettulerit: A. Hostilium octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria: Furium quaestorem auri pondo centum triginta, argenti ducenta. Has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inveni. In L. Scipione malim equidem librarii mendum, quam mendacium

scriptoris, esse in summa auri atque argenti. Similius enim veri est, argenti, quam auri, maius pondus fuisse; et potius quadragies, quam ducenties quadragies, litem aestimatam: eo magis, quod tantae summae rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam esse in senatu tradunt *cet. (Livius XXXVIII*, 55 *med. A. U. C.* 567.)

Legatum eum *(L. Scipionem)* post damnationem et bona vendita missum in Asiam ad dirimenda inter Antiochum et Eumenem reges certamina Valerius Antias est auctor: tum collatas ei pecunias, congregatosque per Asiam artifices: et quorum ludorum post bellum, in quo votos diceret, mentionem non fecisset, de iis post legationem demum in senatu actum. *(Livius XXXIX*, 22 *extr. A. U. C.* 568.)

Si Antiati Valerio credere libet, *(Q. Naevius praetor)* ad duo hominum milia *(veneficorum)* damnavit. *(Livius XXXIX*, 41 *med. A. U. C.* 570.)

Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem legisset, et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, aliud argumentum, simile tamen et libidine et crudelitate peragit. Placentiae famosam mulierem, cuius amore deperiret *(Flamininus)*, in convivium arcessitam scribit. Ibi iactantem sese scorto inter cetera rettulisse, quam acriter quaestiones exercuisset, et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. Tum illam infra eum accubantem negasse, unquam vidisse quenquam securi ferientem, et pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem, unum ex illis miseris adtrahi iussum, securi percussisse. Facinus sive eo modo, quo censor obiecit, sive, ut Valerius tradit, commissum est, saevum atque atrox: inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes, ubi bene precari mos esset

ad spectaculum scorti procacis, in sinu consulis recubantis, mactatam humanam victimam esse: et cruore mensam respersam. *(Livius XXXIX*, 43. *A. U. C.* 570.*)*

Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego neque his, neque Valerio assentior: his, quod censoribus M. Porcio, L. Valerio principem senatus ipsum L. Valerium censorem lectum invenio, cum superioribus tribus lustris Africanus fuisset: quo vivo, nisi ut ille senatu moveretur, quam notam nemo memoriae prodidit, alius princeps in locum eius lectus non esset. Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naevius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est. Hic Naevius in magistratuum libris est tribunus plebis, P. Claudio, L. Porcio consulibus: sed iniit tribunatum Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus, ante diem quartum Idus Decembres. Inde tres menses ad Idus Martias sunt; quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt. Ita et vixisse in tribunatu Naevii videtur, diesque ei dici ab eo potuisse; decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram. *(Livius XXXIX*, 52 *init. A. U. C.* 571.*)*

Hannibalem hoc anno Antias Valerius decessisse auctor est, legatis ad eam rem ad Prusiam missis, praeter T. Quinctium Flamininum, cuius in ea re celebre est nomen, L. Scipione Asiatico et P. Scipione Nasica. *(Livius XXXIX*, 56 *extr. coll. cap.* 52 *extr. A. U. C.* 571.*)*

Insignes notae fuerunt — et Cn. Fulvii, qui frater germanus, et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. *(Livius XLI*, 27 *init. A. U. C.* 580.*)*

Attalum regis Eumenis fratrem legatum venisse

Romam Valerius Antias his consulibus scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicandosque apparatus belli. Plurium annales, et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur ut Romam venit *cet. (Livius XLII*, 11 *init. A. U. C.* 582.)

De Eumene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec classe adiutum ab eo praetorem esse, cum saepe eum litteris arcessisset, tradit; nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit: ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Attalum fratrem eius et remansisse apud consulem, et sinceram eius fidem aequali tenore egregiamque operam in eo bello fuisse. *(Livius XLIV*, 13 *extr. A. U. C.* 585.)

Summam omnis captivi auri argentique translati sestertium milies ducenties fuisse Valerius Antias tradit: quae haud dubie maior aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis, efficitur. *(Livius XLV*, 40 *init. A. U. C.* 587.)

Sestertium ducenties ex ea praeda redactum esse, auctor est Antias, praeter aurum argentumque, quod in aerarium sit latum: quod quia unde redigi potuerit, non apparebat, auctorem pro re posui. *(Livius XLV*, 43. *A. U. C.* 587.)

Ocresiam virginem a Vulcano sive Lare adamatam et inde natum Servium narrant. Οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν οὐχ οὕτω λέγουσιν, ἀλλὰ τυχεῖν μὲν τῷ Σερουΐῳ τὴν γυναῖκα Γεγανίαν θνησκούσαν, αὐτὸν δὲ, τῆς μητρὸς παρούσης, εἰς ὕπνον ἐκ δυςθυμίας καὶ λύπης

ἀποκλιφῆναι· καὶ καθεύδοντος αὐτοῦ, ταῖς γυναιξὶν ὀφθῆναι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πυρὶ περιλαμπόμενον. ὅπερ ἦν μαρτύριον αὐτῷ τῆς ἐκ πυρὸς γενέσεως, σημεῖον δὲ χρηστὸν ἐπὶ τὴν ἀπροσδόκητον ἡγεμονίαν, ἧς ἔτυχε μετὰ τὴν Ταρκυνίου τελευτὴν, Ταναχυλλίδος σπουδασάσης. *(Plutarchus de fortuna Romanorum cap.* 10 *pag.* 323 *ed. Francof.)*

Nam cum Metellus praetor Achaeos Boeotosque coniunctos duobus bellis, hoc est, primo apud Thermopylas, iterum in Phocaeis devicisset: quorum priore bello occisa esse viginti milia, secundo septem milia caesa Claudius historicus refert; Valerius Antias in Achaia pugnatum, et viginti milia Achaeorum cum duce suo Diaeo, cecidisse confirmat; Polybius Achivus, quamvis tunc in Africa cum Scipione fuerit, tamen quia domesticam cladem ignorare non potuit, semel in Achaia pugnatum Critolao duce asserit. Diaeum vero adducentem ex Arcadia militem ab eodem Metello praetore oppressum cum exercitu docet. Sed de varietate discordantium historicorum aliquanta iam diximus, quorum sufficiat detecta haec et male nota mendaciorum nota: quia parum credendum esse in ceteris evidenter ostendunt, qui in his quoque, quae ipsi videre, diversi sunt. *(Orosius hist. V,* 3. *A. U. C.* 608. *Liv. epit. lib.* 52 *init.)*

Duo filii consulis caesi, octoginta milia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atque lixarum interfecta Antias scribit. *(Orosius hist. V,* 16. *A. U. C.* 644. *Liv. epit. lib.* 67.*)*

L. OTACILIUS PILITUS.

Quae erant antea in Latio potissimum culta litterarum studia, Sullae tempore (Cic. pro Arch. cap. 3 coll. de or. III, 11 § 43) Romae diligentius tractari coepta sunt. Historia autem, quae ab antiquissimis temporibus a summis tantum inque re publica versatis viris perscripta erat, hac aetate etiam a libertinis colebatur, sed tamen ita, ut patrii moris Romanaeque gloriae memores nihilominus summi viri usque ad rei publicae interitum populi res gestas litteris consignarent. Atque is qui primus omnium libertinorum historiam scripsit, L. Otacilius Pilitus fuit, Sullae et Marii aequalis.[1]) De hoc autem nihil inveni, nisi quod Suetonius de clar. rhet. cap. 3 tradidit: „L. Otacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam ostiarius vetere more in catena fuisse: donec ob ingenium ac studium litterarum manumissus accusanti patrono subscripsit. Deinde rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit, patrisque eius res gestas, nec minus ipsius compluribus libris exposuit: primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam.“ Verum cum alia de eo testimonia desint, videtur etiam suo tempore praesertim in tanta scriptorum copia subobscurus fuisse.

---

1) In chronico Hieronymi legitur *Vultacilius Plotus*. Codex ad Suetonium Berolinensis recentior anni 1477, quem contuli, exhibet *L. Volcatius Pilutus*. Prius nomen non est dubium, sed posterius, pro quo nonnulli codd. et edd. *Pilutus*. Aliis placuit *Pitholaus* ex Macrob. somn. Scip. 2, 2. vel *Piletus*, *Philetus*, *Plotus*, *Philtatus* cet.

L. CORNELIUS SULLA.

Sulla res gestas suas Latine scripsit libris viginti duobus, unde fragmenta pauca apud Ciceronem, Gellium et Priscianum extant, plura apud Plutarchum. Plutarcho teste opus dedicavit Lucullo, ut digereret et perpoliret. Plut. in Lucullo init. pag. 491 ed. Francof. ὁ δὲ Λούκουλλος ἤσκητο καὶ λέγειν ἱκανῶς ἑκατέραν γλῶτταν, ὥστε καὶ Σύλλας τὰς αὑτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ προσεφώνησεν ὡς συνταξομένῳ καὶ διαῤῥήσοντι τὴν ἱστορίαν ἄμεινον. Ultimum librum incepit tantum, non perfecit, occupatus morte, quam sexagenarius obiit a. u. c. 676. Rem ita Plutarchus narrat in Sulla cap. 37 pag. 475 A ed. Francof. ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς· τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν, ἢ ἐτελεύτα, γράφων ἐπαύσατο. Supplevit autem librum imperfectum Epicadus libertus, quo de mox agemus, non tamen, quantum coniicitur, aucto librorum numero. De auctoritate rerum gestarum (Gell. Prisc.) sive ὑπομνημάτων (Plut.), sive historiae (Cic.) idem videtur sine dubio iudicandum esse, quod de fide eorum, qui vitas suas scripserunt, censendum esse in Scauro diximus pag. 225.

FRAGMENTA.

LIB. II.

L. Sulla rerum gestarum libro secundo ita scripsit: P. Cornelius, cui primum cognomen Sullae impositum est, flamen Dialis captus. *(Gellius. N. A. I c. 12 § 16.)*

L. Sulla rerum gestarum libro secundo: Quo si fieri potest, ut etiam nunc nostri vobis in mentem veniat: nosque magis dignos creditis, quibus civibus, quam hostibus utamini; quique pro vobis potius, quam contra vos pugnemus: neque nostro, neque maiorum nostrorum merito nobis id continget. *(Gellius XX, 6 § 3. Fortasse ex oratione vel epistola.)*

LIB. X.

Ἐκ δὲ Λεβαδείας καὶ τοῦ Τροφωνίου φῆμαί τε χρησταὶ καὶ νικηφόρα μαντεύματα τοῖς Ῥωμαίοις ἐξεπέμποντο. περὶ ὧν οἱ μὲν ἐπιχώριοι πλείονα λέγουσιν· ὡς δὲ Σύλλας αὐτὸς ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν ὑπομνημάτων γέγραφε, Κόϊντος Τίτιος, οὐκ ἀφανὴς ἀνὴρ τῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι πραγματευομένων, ἦκε πρὸς αὐτὸν, ἤδη τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ νενικηκότα μάχην, παραγγέλλων, ὅτι καὶ δευτέραν ὁ Τροφώνιος αὐτόθι μάχην καὶ νίκην προσημαίνει ἐντὸς ὀλίγου χρόνου cet. *(Plutarchus in Sulla cap. 17.)*

LIB. XXI.

Sulla in XXI rerum suarum: Ad summam perniciem rem publicam perventuram esse: pro perventum ire, ἐλεύσεσθαι. *(Priscian. lib. IX pag. 864 ed. Putsch.)*

INCERTA.

Ut in Sullae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut, cum ille in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret, cum quidem C. Postumius haruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret: id cum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra cepit. *(Cicero de di-*

vinat. I, 33. Vulgo quondam perperam ad Sisennam referebatur. Cf. Valer. Max. I, 6 § 4. Plutarch. in Sulla cap. 17. Obsequens de prodigiis cap. 116. Cic. de divin. II, 30 § 65.)

Τηρήσαντες οὖν τὸν ὡρισμένον χρόνον, ἀντιπαρετάσσοντο, Κάτλος μὲν ἔχων δισμυρίους καὶ τριακοσίους στρατιώτας· οἱ δὲ Μαρίου, δισχίλιοι μὲν ἐπὶ τρισμυρίοις ἐγίνοντο, περιέσχον δὲ τὸν Κάτλου ἐν μέσῳ νεμηθέντες εἰς ἑκάτερον κέρας, ὡς Σύλλας ἠγωνισμένος ἐκείνην τὴν μάχην γέγραφε. *(De pugna apud Vercellas. Plutarch. in Mario c. 25 p. 420 A. ed. Francof.)*

Τὸν δὲ Μάριον καὶ θύσαντα λέγεται, τῶν ἱερῶν αὐτῷ δειχθέντων, μέγα φθεγξάμενον εἰπεῖν· Ἐμὴ νίκη. γενομένης δὲ τῆς ἐφόδου, πρᾶγμα νεμεσητὸν παθεῖν τὸν Μάριον οἱ περὶ Σύλλαν ἱστοροῦσι. κονιορτοῦ γὰρ ἀρθέντος, οἷον εἰκὸς, ἀπλέτου, καὶ τῶν στρατοπέδων ἀποκεκρυμμένων, ἐκεῖνον μὲν, ὡς τὸ πρῶτον ὥρμησε πρὸς τὴν δίωξιν ἐπισπασάμενον τὴν δύναμιν, ἀστοχῆσαι τῶν πολεμίων, καὶ παρενεχθέντα τῆς φάλαγγος ἐν τῷ πεδίῳ διαφέρεσθαι πολὺν ἤδη χρόνον· τῷ δὲ Κάτλῳ τοὺς βαρβάρους ἀπὸ τύχης συρραγῆναι, καὶ γενέσθαι τὸν ἀγῶνα κατ' ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἐκείνου μάλιστα στρατιώτας, ἐν οἷς αὐτὸς ὁ Σύλλας τετάχθαι φησί. συναγωνίσασθαι δὲ τοῖς Ῥωμαίοις τὸ καῦμα καὶ τὸν ἥλιον ἀντιλάμποντα τοῖς Κίμβροις. *(Plutarch. in Mario c. 26 p. 420 D.)*

Σύλλας δὲ παρὰ τὴν οἰκίαν τοῦ Μαρίου διωκόμενος, οὐδενὸς ἂν προσδοκήσαντος εἰσέπεσε· καὶ τοὺς μὲν διώκοντας ἔλαθε δρόμῳ παρενεχθέντας, ὑπ' αὐτοῦ δὲ Μαρίου λέγεται κατὰ θύρας ἑτέρας ἀσφαλῶς ἀποπεμφθεὶς διεκπεσεῖν εἰς τὸ στρατόπεδον. αὐτὸς δὲ Σύλλας ἐν ταῖς ὑπομνήμασιν οὔ φησι καταφυγεῖν πρὸς τὸν Μάριον, ἀλλ' ἀπαχθῆναι βουλευσόμενος ὑπὲρ ὧν Σουλπίκιος ἠνάγκαζεν αὐτὸν ἄκοντα ψηφίσασθαι, περισχὼν ἐν κύκλῳ ἔφεσι γυμνοῖς, καὶ συνελάσας πρὸς τὸν Μάριον· ἄχρις

οὗ προελθὼν ἐκεῖθεν εἰς ἀγορὰν, ὡς ἠξίουν ἐκεῖνοι, τὰς πράξεις ἔλυσε. *(Plutarch. in Mario c. 35 p. 425 D.)*

Ὑφ' οὗ τὰ πρῶτα καὶ μέγιστα πιστευόμενος, εἰς δύναμιν ἅμα δόξῃ προῆλθε. καὶ πολέμῳ μὲν αἱρεῖ πολὺ μέρος τῶν ἐν ταῖς Ἄλπεσι βαρβάρων· ἐπιλεπούσης δὲ τῆς ἀγορᾶς, ἀναδεξάμενος τὴν ἐπιμέλειαν, τοσαύτην ἐπαίσησε περιουσίαν, ὥστε τῶν Κάτλου στρατιωτῶν ἐν ἀφθόνοις διαγόντων, καὶ τοῖς Μαρίου προσπαρασχεῖν. ἐφ' ᾧ φησὶν αὐτὸν ἰσχυρῶς ἀνιάσαι τὸν Μάριον. *(Plutarch. in Sulla cap. 4.)*

Φησὶ γὰρ *(Sulla)* αὐτοὺς εἰδότας τὴν πρὸς Βόκχου φιλίαν, καὶ προσδεχομένους, εἰ πρὸ τῆς στρατηγίας ἀγορανομήσει, κυνηγέσια λαμπρὰ, καὶ Λιβυκῶν ἀγῶνας θηρίων, ἑτέρους ἀποδεῖξαι στρατηγοὺς, ὡς αὐτὸν ἀγορανομεῖν ἀναγκάσοντας. ἔοικε δὲ τὴν ἀληθῆ τῆς ἀποστεύέως αἰτίαν οὐχ ὁμολογῶν ὁ Σύλλας ἐλέγχεσθαι τοῖς πράγμασι. *(Plutarch. in Sulla c. 5 p. 453. C.)*

Καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφεν, ὅτι τῶν καλῶς αὐτῷ βεβουλεῦσθαι δοκούντων αἱ μὴ κατὰ γνώμην, ἀλλὰ πρὸς καιρὸν ἀποτολμώμεναι πράξεις ἔπιπτον εἰς ἄμεινον. *(Plutarch. in Sulla cap. 6.)*

Ἔτι δὲ Λουκούλλῳ μὲν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ὧν ἐκείνῳ τὴν γραφὴν ἀνατέθεικε, παραινεῖ μηδὲν οὕτως ἡγεῖσθαι βέβαιον, ὡς ἅτι ἂν αὐτῷ προσάξῃ νύκτωρ τὸ δαιμόνιον. ἐκπεμπομένου δ' αὐτοῦ μετὰ δυνάμεως εἰς τὸν συμμαχικὸν πόλεμον, ἱστορεῖ χάσμα τῆς γῆς μέγα γενέσθαι περὶ Δαβέρνιν. ἐκ δὲ τούτου πῦρ ἀναβλύσαι πολὺ, καὶ φλόγα λαμπρὰν στηρίξαι πρὸς τὸν οὐρανόν· εἰκεῖν δὴ τοὺς μάντεις, ὡς ἀνὴρ ἀγαθὸς, ὕψει διάφορος καὶ περιττὸς, ἄρξας ἀπαλλάξαι τῇ πόλει ταραχὰς καὶ πόνους. τοῦτον δὲ αὐτὸν εἶναί φησιν ὁ Σύλλας· τῆς μὲν γὰρ ὄψεως ἴδιον εἶναι τὸ περὶ τὴν κόμην χρυσωπὸν, ἀρετὴν δ' οὐκ αἰσχύνεσθαι μαρτυρῶν ἑαυτῷ, μετὰ πράξεις οὕτω καλὰς καὶ μεγάλας. *(Plutarch. in Sulla c. 6.)*

[illegible] δὲ αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασι, τὸν [illegible] τοῦ τείχους, Μάρκον Τήϊον, ἀντιστάν- [illegible] πολεμίου, δόντα πληγὴν ἐκ καταφορᾶς τῷ [illegible] τὸ ξίφος, οὐ μὴν ὑφέσθαι τῆς χώρας, [illegible] καὶ κατασχεῖν. (Plutarch. in Sulla c. [illegible])

[illegible] τὰς Ἀθήνας αὐτός φησιν ἐν τοῖς ὑπο- [illegible] καλάνδαις. (Plutarch. in Sulla [illegible])

[illegible] δὲ κοινῇ, καταλαμβάνονται βουνὸν ἐκ [illegible] τῶν Ἐλατικῶν πεδίων, εὔγεων καὶ ἀμ- [illegible] παρὰ τὴν ῥίζαν ὕδωρ ἔχοντα. Φιλοβοιωτὸς [illegible] καὶ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν θέσιν ἐπαινεῖ [illegible] ὁ Σύλλας. (Plutarch. in Sulla c. 16 p. [illegible] ed. Francof.)

[illegible] δὲ Σύλλας λέγει, τέσσαρας καὶ δέκα ἐπιζητῆσαι [illegible] αὐτοῦ στρατιωτῶν, εἶτα καὶ τούτων δύο πρὸς τὴν [illegible] παραγενέσθαι. διὸ καὶ τοῖς τροπαίοις ἐπέγραψεν [illegible] καὶ Νίκην καὶ Ἀφροδίτην, ὡς οὐχ ἧττον εὐτυχίᾳ [illegible] ὤσας, ἢ δεινότητι καὶ δυνάμει, τὸν πόλεμον. (Plutarch. in Sulla c. 19.)

Ταῦτά τε δὴ διέβαλε τὸ περὶ Χαιρώνειαν ἔργον, [illegible] καθαρῶς ἀγωνισθὲν, καὶ ὅτι τοὺς ἄλλους Μιθρι- [illegible] φίλους, οὓς εἶχεν αἰχμαλώτους, ἀποδιδοὺς ὁ Σύλ- [illegible], Ἀριστίωνα μόνον τὸν τύραννον ἀνεῖλε διὰ φαρμά- [illegible], Ἀρχελάῳ διάφορον ὄντα· μάλιστα δ' ἡ δοθεῖσα [illegible] τῷ Καππαδόκῃ μυρίων πλέθρων ἐν Εὐβοίᾳ, καὶ τὸ Ῥωμαίων φίλον αὐτὸν καὶ σύμμαχον ὑπὸ Σύλλα ἀνα- γραφῆναι. περὶ μὲν οὖν τούτων αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἀπολογεῖται. (Plutarch. in Sulla c. 23.)

Οὐ μὴν ἐδέξατο τὴν ἀπαρχὴν ὁ Σύλλας, ἀλλ' ἐπαι- νέσας καὶ παρορμήσας, διέβαινεν, ὥς φησιν αὐτὸς, ἐπὶ πεντεκαίδεκα στρατηγοὺς πολεμίους, πεντήκοντα καὶ τε- τρακοσίας σπείρας ἔχοντας, ἐκδηλότατα τοῦ θεοῦ τὰς

εὐτυχίας προσημαίνοντος αὐτῷ. *(Plutarch. in Sulla cap. 27.)*

Τοῦτο αἴτιον αὐτῷ γενέσθαι φησὶ τοῦ μὴ διαλυθῆναι τοὺς στρατιώτας κατὰ πόλεις, ἀλλὰ συμμεῖναι καὶ καταφρονῆσαι τῶν ἐναντίων, πολλαπλασίων ὄντων. ἐν δὲ Σιλβίῳ φησὶν οἰκέτην Ποντίου Θεοφόρητον ἐντυχεῖν αὐτῷ, λέγοντα παρὰ τῆς Ἐνυοῦς κράτος πολέμου καὶ νίκην ἀπαγγέλλειν. εἰ δὲ μὴ σπεύσειεν, ἐμπεπρήσεσθαι τὸ καπιτώλιον· ὃ καὶ συμβῆναι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἧς ὁ ἄνθρωπος προηγόρευσεν. ἦν δὲ αὕτη πρὸ μιᾶς νόνων Κιντιλίων, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦμεν. *(Plutarch. in Sulla cap. 27.)*

Ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ Σύλλας φησὶν εἴκοσι τρεῖς μόνους ἀποβαλεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ τῶν πολεμίων δισμυρίους, καὶ λαβεῖν ζῶντας ὀκτακισχιλίους. *(Plutarch. in Sulla c. 28 p. 470 C.)*

Ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω τὴν ἑαυτοῦ τελευτήν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς· τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν, ἢ ἐτελεύτα, γράφων ἐπαύσατο. καί φησι, τούς τε Χαλδαίους αὐτῷ προειπεῖν, ὡς θέοι βεβιωκόσι καλῶς αὐτὸν ἐν ἀκμῇ τῶν εὐτυχημάτων καταστρέψαι. λέγει δὲ καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ τεθνηκότα μικρὸν ἔμπροσθεν τῆς Μετέλλης φανῆναι κατὰ τοὺς ὕπνους, ἐν ἐσθῆτι φαύλῃ παρεστῶτα, καὶ δεόμενον τοῦ πατρὸς παύσασθαι τῶν φροντίδων, ἰόντα δὲ σὺν αὐτῷ παρὰ τὴν μητέρα Μετέλλαν, ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἀπραγμόνως ζῆν μετ' αὐτῆς. *(Plutarch. in Sulla c. 37 ed. Francof. p. 475 A.)*

Παρήνει δὲ διὰ τῶν ὑπομνημάτων ἐκεῖνος *(Sulla)*, μηδὲν οὕτως ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι καὶ βέβαιον, ὡς ὅ τι ἂν ἀποσημανθῇ διὰ τῶν ἐνυπνίων. *(Plutarch. in Lucullo c. 23 p. 507 A.)*

L. CORNELIUS EPICADUS.

De eo ita Suetonius in lib. de illustr. gramm. cap. 12: „Cornelius Epicadus, L. Cornelii Sullae dictatoris libertus, calatorque in sacerdotio augurali, filioque eius Fausto gratissimus fuit: quare nunquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.“ De historico Epicado nihil praeterea novimus; historicum autem argumentum prodit locus Macrobii in Sat. lib. I cap. 11, dummodo nostro recte vindicetur. Tum liceat Epicadi, nostri fortasse, fragmenta librorum de cognominibus et de metris transscribere.

FRAGMENTA.

LIB. DE COGNOMINIBUS.

Sibyllam Epicadius de cognominibus ait appellatum, qui ex Sibyllinis libris primo sacrum fecit, deinde Sullam, qui quod flavo et compto capillo fuerit, consimiles Sullae sunt appellati. *(Charis. I p. 85 ed. Putsch. Legendum est fortasse: Epicadus.)*

LIB. DE METRIS.

Quippe Cornelius Epicadus in eo libro, quem de metris scripsit: Hexameter, inquit, versus. *(Maximus Victorinus de carmine heroico pag. 1957 ed. Putsch.)*

INCERTA.

Epicadus refert, Herculem, occiso Geryone, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse, ut aqua secunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur: et inde usum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse. *(Macrob. Sat. I cap. 11 sub finem.)*

T. MANILIUS.

Eodem tempore Titus Manilius senator floruit, a Cicerone adolescente in or. p. Roscio comoedo c. 14 et 15 commemoratus, dictusque aetate grandis natu, natura sanctus et religiosus, copiis rei familiaris locuples et pecuniosus. Etsi Vossius eum inter historicos recensuit, ac nonnulli eius auctoritatem secuti sunt, tamen fragmentorum ratio talis est, ut non tam ad annales, quam ad librum antiquarium pertinere videantur. Ac multo id certius est, faciliusque intellectu de locis Varronis de L. L. VII p. 84 et 86, quos non iuvat integros addere. Teneat autem inter rerum scriptores etiam Manilius locum, cum eodem fere iure habeant M. Fulvius Nobilior et C. Iunius Gracchanus.

FRAGMENTA.

Primus atque diligentissimus togatorum de eo *(de Phoenice)* prodidit Manilius, senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo: neminem exti-

tisse, qui viderit vescentem; sacrum in Arabia Soli esse, vivere annis DCLX. Senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, et super emori. Ex ossibus deinde et medullis eius nasci primo seu vermiculum: inde fieri pullum, principioque iusta funeri priori reddere et totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, et in ara ibi deponere. Cum huius alitis vita magni conversionem anni fieri prodidit idem Manilius; iterumque significationes tempestatum et siderum easdem reverti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die signum arietis sol intraverit. Et fuisse eius conversionis annum, prodente se, P. Licinio M. Cornelio consulibus. *(Plin. H. N. X cap. 2.)*

Europa ab Europa, Agenoris filia, quam ex Phoenice Mallius scribit taurum exportasse, quorum egregiam imaginem ex aere Pythagoras Tarenti fecit. *(Varro de L. L. V p. 6. Legebatur quondam ex codd.* Manilius, *ad quem fragm. Vossius rettulit.)*

(Novensiles putat,) deos novem Manilius, quibus solis Iuppiter potestatem iaciendi sui permiserit fulminis. *(Arnob. advers. gentes III cap. 38.)*

Quodsi hi sunt, quos Cincius praedicat, Manilius dicere reperietur falsum, qui alieni fulminis iaculatores sub istius voluminis appellatione concludit. *(Arnob. III, 39. med.)*

CN. AUFIDIUS.

Paulo admodum locis commemoratur Cn. Aufidius, de quo ita Tullius in Tusculan. lib. V cap. 38: „*(Pueris nobis)* Cn. Aufidius praetorius, et in scenis

sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus decuit, et Graecam scribebat historiam, et vivebat in litteris.“ Si ex duobus, quae supersunt, fragmentis coniicere aliquid licet, patriam historiam a rerum Romanarum initio composuit fortasse ad sua tempora. Videtur autem Vossio (de hist. Graec. lib. IV cap. 14) idem esse, qui quaestor fuit a. u. 635 L. Caecilio Metello L. Aurelio Cotta coss., et anno 640 M.' Acilio Balbo M. Porcio Catone coss. tribunus plebis, a quo lata est lex Aufidia: cf. Plinius H. N. lib. VIII cap. 17. Sed praeter Cn. Aufidium praetorium, a Cicerone in Tusculanis commemoratum, fuit etiam consularis Cn. Aufidius, quem adoptavit praetorius, cuiusque mentio est apud Pseudocicieronem in orat. pro domo cap. 13 extr.

FRAGMENTA.

Universae *(Armeniae)* magnitudinem Aufidius centena milia prodidit. *(Plin. lib. VI cap. 9.)*

EPITOMAE.

Aufidius sane in epitomis et Domitius lib. I *(Aventinum Silvium)* non fulminis ictum, sed terrae motu prolapsum, simul cum eo regiam, in Albanum lacum tradunt. *(Auctor lib. de orig. gent. Rom. cap.* 18 *§* 4.)

L. CORNELIUS SISENNA.

Velleius Paterculus de Sisennae aetate lib. II cap. 9 extr. ita testatur: „Celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello equus mi-

Iturerat. Quo quidem tempore iuvenes adhuc Iugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuvenis; sed opus belli civilis, Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Coelius: aequalis Sisennae Rutilius, Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias.[a] Cf. p. 243. Vellejus autem eum cum his viris coniunxit, quod uno fermè tempore historias ediderunt: nam Rutilius maior fuit certe annis triginta. Sisenna Ciceronе teste in Brut. c. 64 init. et c. 88 init. Hortensio (nat. a. 640) maior fuit; minor autem Sulpicio et Cotta (nat. a. 630), ut anno ferme 635 natus esse videatur. Praetor fuit a. 676 M. Aemilio Lepido et Q. Lutatio Catulo consulibus: cf. Ursinus ad Sallust. Iug. c. 98; aedilis curulis fortasse a. 684 cum C. Antonio: cf. Cic. accusat. lib. IV c. 15 coll. IV c. 20 § 43 cum annotationibus Zumptii; tum etiam fautor Verris, ut testis est Cic. in accus. lib. II, 45 § 110; IV, 20 § 43. Fuisse nostrum e gente Cornelia, vel fragmentum libri quarti docet apud Festum s. v. Scrupi; filium denique Cn. Cornelium Sisennam in denariis argenteis extare aiunt. A Cicerone in Brut. cap. 64 init. vocatur „doctus vir et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis; sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis.“ Fuit igitur philosophus et orator (cf. Brut. c. 74 extr.), sed excelluit potissimum historia, qua ceteros omnes et superiores et aequales obscuravit. Cicero in Brut. c. 64: „Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest; quae cum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamquc genus hoc scri-

ptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum.“ Et de legg. I, 2: „Sisenna omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur: ut unum Clitarchum[1]) neque praeterea quenquam de Graecis legisse videatur. Eum tamen velle duntaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset.“ Nec solum a Cicerone, sed etiam a ceteris omnibus scriptori nostro palma videtur tributa esse, siquidem Varro librum, quem fecit de historia, Sisennae nomine inscripsit: Gell. XVI, 9 § 5, et Ovidius ait Trist. II v. 443:

Vertit Aristiden Sisenna; nec obfuit illi
Historiae turpes inseruisse iocos.

Mentio eius fit in fragm. orat. Cic. p. C. Cornelio: „Non denique homo illorum, et vita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna, bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni adolescenti summa nobilitate, eximia virtute praedito, dedisset.“ Ad haec verba Asconius: „Hoc solum hic annotandum est, hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit.“ Opus omnes nominant historiam, ut is libri verus index fuisse videatur, praesertim cum conveniat vulgari discrimini, quo historia est eorum temporum, quae vel vidimus vel videre potuimus. Ex Velleii verbis, quae principio attuli, opinari aliquis foraitan possit, opus belli civilis Sullani, quod senior composuit, peculiarem librum fuisse, separatum ab historiis,

1) Quintilianus X, 1: „Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.“

quam eadem auctore iuvenis condidit. Sed utut est res comparata, opus illud historiarum partem effecisse, admodum credibile vel potius certum videtur, cum titulum illum nemo exhibeat, cunctique loci, qui ad Sullam referendi sunt, ex eius historiis deprompti dicuntur. Descripsit autem bellum Marsicum (a. 664) iuvenis, quod bellum tractarunt etiam Lucceius, Lucullus (cf. Plutarch. in Lucullo c. 1), Alexander Ephesius (auct. de or. g. R. c. 9); tum inde a sexto libro senior, hoc est ferme quinquagenarius (circiter a. u. 685), bellum civile Sullanum enarravit. In prooemio libri sexti, ubi incepit dicere de rebus Sullae, nolle se vellicatim ac saltuatim scribere professus est; perstrinxit etiam occasione data tempora antiquissima (cf. fragm. incerta), et procul dubio res copiose explicuit, etsi librorum numerus non constat. Sed quemadmodum ex Antiatis annalibus multa de rebus gestis fragmenta supersunt, quae ad certos libros referri plerumque nequeunt: ita ex certis libris historiarum Sisennae apud grammaticos potissimum multi loci extant, propter singularia vocabula annotati, non res historicas continentes. Ac licet Popma pro diligentia et industria sua pauca quaedam fragmenta ad certas res referre conatus sit, tamen ea carent saepius idoneis indiciis et argumentis. Inseruit noster historiis orationes vel epistolas, ut coniicitur ex Non. s. v. Nolitote fragm. lib. III init., et s. v. Necessitudo, Enixim, Exleges, Nex fragm. lib. IV. De dicendi genere plenius fatetur Cicero in Brut. cap. 74 § 259: „Sisenna autem, quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. Quidnam istuc est? inquit Brutus: aut quis est iste C. Rusius? Et ille, fuit accusator, in-

quit, vetus, quo accusante Chritilium, Sisenna defendens, dixit, quaedam eius sputatilica esse crimina. (*cap.* 75.) Tum C. Rusius, circumvenior, inquit, iudices, nisi subvenitis. Sisenna, quid dicas, nescio: metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio." Tum de auctoritate unum sed praestantissimum superest testimonium Sallustii, qui in Iug. c. 95 de Sullae rebus gestis dicens scribit: „L. Sisenna optime et diligentissime omnium, qui eas res dixere, persecutus, parum mihi libero ore locutus videtur." Interfuit autem rebus, quas memoriae prodidit: nihilominus tamen, quantum videtur, tum alios, tum Sullae rerum gestarum libros consuluit. Praeterea Sisenna Ovidio teste (Trist. II, 443) vertit Milesias fabulas Aristidis, unde aliqua laudat Charisius, et commentarium scripsit ad Plauti comoedias, quem citant Charisius et Rufinus. Sed linquamus haec fragmenta, cum pluria esse videantur, quam quae in alius argumenti tractatione obiter adiici possint.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Sisenna historiae libro primo: Si quae celeriter solvi poterat, in altum remulcat. (*Nonius: remulcare. In ed. Mercer. refertur ad librum secundum.*)

Sisenna historiarum libro primo: Nocte consumpta postero die per incertas vias Aeserniam, inde Romam protinus profugerant. (*Non. protinus.*)

LIB. II.

Sed et Sisenna in secundo dixit: Et Marsi propius succedunt, atque ita scutis proiectis tecti saxa certatim lenta manibus coniiciunt in hostes. Et in

eodem: Vetus atque ingens erat arbor ilex, quae circum proiectis ramis maiorem partem loci summi tegebat. *(Macrob. VI, 4 proiecta id quod iacta.)*

LIB. III.

Sisenna historiarum libro tertio: Nolitote mirari, quam desperata voluntate ad unam belli faciendi viam. *(Non. nolitote pro nolite.)*

Sisenna hist. lib. III: De virtute eorum accusanda proloqui supersederunt. *(Non. supersedere, manere, perseverare. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna hist. lib. III: Egregias et longe praestantes ac metuendas adversariorum opes esse. *(Non. longe, valde. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna hist. lib. III: Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum. *(Non. imbrices ac tegulas. Cf. Liv. epit. lib. LXXII.)*

Sisenna hist. lib. III: Inermos armati, impeditos expediti sine ullo suorum vulnere cunctos interficiunt. *(Non. expediti et impediti. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna hist. lib. III: Senatus auctoritate sagaria nunc. *(Non. sagaria. Liv. epit. LXXII.)*

Sisenna hist. libro tertio: Mulierem missa fide ac pietate propter amoris nefarii libidinem extitisse. *(Non. mittere. Liv. epit. LXXII.)*

Sisenna hist. lib. III: Quod loca palustriaque erant et alte multifariam confossa. *(Non. multifariam, partibus multis.)*

Sisenna hist. lib. tertio: Atque armis de vita certatim dimicare nitebantur. *(Non. certatim.)*

Sisenna historiarum lib. tertio: Romanos impetu suo protelant, proiectos persequuntur. *(Non. protelare est percutere, perturbare.)*

Sisenna hist. lib. tertio: Dispalati ab signis, digressi omnes ac dissipati. *(Non. dispalare est separare.)*

Sisenna hist. lib. III: Periclitantur tormenta ac tela, multaque genera machinamentorum. *(Non. periculum: experimentum. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna hist. lib. III: Signum nactus a Papio quod inter eos tolli convenerat. *(Non. convenire: placere, constituere. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna historiarum libro tertio: Omnia quae diximus loca statim potitus. *(Non. nominativus pro ablativo.)*

Sisenna hist. lib. III: Protinus agros populabundus ad Nuceriam convertit. *(Non. populat. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna historiarum libro tertio: Agilem dari facilemque victoriam, neque fossas aut vallum remoraturum. *(Non. agilem.)*

Sisenna hist. lib. III: Convictus tamen ex tempore singula constituit, et sicut steterant manipulos obverti iussit. *(Non. manipuli.)*

Sisenna histor. lib. III: Ac post armatos funditores et sagittarios ponit. *(Non. funditores.)*

Sisenna hist. lib. III: Sparis ac lanceis eminus peterent hostes. *(Non. sparus.)*

Sisenna hist. lib. tertio: Galli materibus, Suevi lanceis configunt. *(Non. materae tela gravia bellica.)*

Sisenna hist. lib. III: Alii saltui ac velocitati certare. *(Non. dativus pro ablat. In ed. Mercer. ad lib. IV.)*

Sisenna hist. lib. III: Postquam sonu signorum proelium magno cum clamore virorum commissum est. *(Non. soniti et sonu pro sonitus et sono.)*

Sisenna hist. lib. III: Adoriuntur adversos, ut apertis lateribus. *(Non. apertum.)*

Sisenna histor. lib. tertio: Et inde equum incitatum princeps ad hostium permittit aciem. *(Non. permittere pro mittere, incitare vel praecipitare.)*

Sisenna hist. lib. III: Quod fortassean ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset. *(Non. claritudo pro claritas.)*

Sisenna hist. lib. III: Sublatus laetitia nimia, atque impotentia commotus animi. *(Non. impotentiam.)*

Sisenna hist. lib. III: Post villarum macerias ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit. *(Non. maceriae.)*

Sisenna historiarum libro tertio: Occulte tacitique advenientium cohortium praestolari occipiunt. *(Non. praestolari est expectare vel manere.)*

Sisenna hist. lib. III: Iisdem temporibus Aesernini duplici fossa valloque circumdati, frumento adeso, quod ex areis in oppidum portatum est. *(Non. adesum, consumptum.)*

Sisenna hist. lib. III: Requiescendi spatium nacti, cum densiores manipulatim resistere hostibus instituissent. *(Non. manipulatim, collecta manu.)*

Sisenna hist. lib. III: Post principia paulatim recedunt, atque inde cum paucis fugae se mandant. *(Non. mandare positum pro commendare.)*

Sisenna hist. lib. III: Ad binum milium numero sauciis utrimque factis. *(Non. binum milium numero pro binis milibus.)*

Sisenna historiarum libro tertio: Partem cohortium propter mare collocat in littore. *(Non. propter, iuxta.)*

Sisenna hist. lib. III: Otacilium legatum cum scaphis ac lembis. *(Non. lembus.)*

Sisenna hist. lib. III: Praeterea catapultas sedecim, quattuor balistas, viginti plaustra, coriis ac minoribus sagittis onusta. *(Non. catapulta.)*

Sisenna historiarum libro tertio: Longius scorpios, catapultas concitat. *(Non. scorpio est genus teli.)*

Sisenna historiarum libro tertio: Manualis lapides dispartit, propterea quod is ager omnis eiusmodi telis indigebat. *(Non. tela etiam lapides dici posse, et omnia quae iaciantur.)*

Sisenna hist. lib. III: Servulum eius praemio libertatis inductum magno cum tumultu conventum in populum produxit armatum. *(Non. in populum, pro ad populum.)*

Sisenna histor. lib. III: Tum subito tacuit, atque metu et suspicione propriam capere non poterat quietem. *(Non. proprium, diuturnum.)*

Sisenna hist. lib. III: Bassus assiduitate, indulgitate victus. *(Non. indulgitate pro indulgentia.)*

Sisenna hist. lib. III: L. Calpurnius Piso ex senati consulto duas novas tribus. *(Non. senati vel senatuis pro senatus. L. Calpurnius Piso historicus consul cum P. Mucio Scaevola P. Max. a.* 621, *mox, ut putat Popma, censor ex senatusconsulto duas novas tribus adlegit.)*

LIB. IV.

Sed Sisenna religiosum dicit historiarum libro quarto: Quondam Sabini feruntur vovisse: Si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. Quo voto damnati, fetum omnem dicuntur eius anni statim consecrasse. *(Non. ver sacrum.)*

Sisenna hist. lib. IV: Perfuse atque abunde semper usi magnum pondus auri et argenti. *(Non. abunde.)*

Sisenna lib. IV: Utrumne divi cultu erga se mortalium laetiscant, an supernae gentes humana negligant. *(Non. laetare et laetiscere, laetificare.)*

Sisenna hist. lib. IV: Nam clandestina celeriter transigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari. *(Non. crebritudinem pro crebritatem. Cf. annot. Merc.)*

Sisenna hist. lib. IV: Ipsi legati concubia nocte oppido digressi, iam supra hostium munitionem succedunt. *(Non. concubia nocte, primi somni.)*

Sisenna hist. lib. IV: Itaque postero die legatos Iguvium redeuntes apiscitur. *(Non. apisci, invenire.)*

Sisenna hist. lib. IV: C. Titinnius quidam, cui minus proprietas mentis ab natura tradita videretur, primo ante testudinem constitit: deinde apud consulem caussam atque excusationem praeferre coepit. *(Non. testudines.)*

Sisenna hist. lib. IV: Tum postquam apud Iguvinos ac Perusinos eius facti mentionem proiecit. *(Non. proiicere, honeste positum.)*

Sisenna hist. lib. IV: De contrario silentium oritur. *(Non. silentium.)*

Sisenna hist. lib. IV: Impedimentum omne de cunctis itineribus amoliuntur. *(Non. amolimini est recedite vel tollite.)*

Sisenna hist. lib. IV: Iumenta, pecuda locis trepidare compluribus. *(Non. pecua et pecuda.)*

Sisenna hist. lib. IV: Quod hostem non dubitatim cum pluteis ac scalis iter facere cernebat. *(Non. dubitatim, dubitanter.)*

Sisenna hist. lib. IV: Formidine oppressus, quod

humilem caementis instructum oppidi murum sciebat. *(Non. caementa.)*

— Sisenna in quarto historiarum eiusdem figurae verbo ita usus est: Populabundus, inquit, agros ad oppidum pervenit. *(Gell. XI, 15 § 7.)*

Sisenna hist. lib. IV: Armati dextera ducti, magisque in latitudinem discedunt. *(Non. discedere, hiare, dividi, distendi.)*

Sisenna hist. lib. IV: Multitudinem hostium procul constare viderunt. *(Non. constat, compositum est.)*

Sisenna histor. lib. quarto: Tum in muro virile ac muliebre sexus populi multitudine omni collocata. *(Non. sexus neutrius generis.)*

Sisenna hist. lib. quarto: Custodiae in muro statuuntur cataphractorum. *(Non. cataphracti.)*

Sisenna hist. lib. IV: Falces iniectas comminuunt, pluteos propius collocatis harpagis deiiciunt e turribus. *(Non. falces et harpagae: armorum genera, murorum oppugnationi apta.)*

Sisenna hist. lib. IV: De quibus partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos supra vallum frequentes. *(Non. malleoli.)*

Sisenna hist. lib. IV: Funes expediunt, claustra foribus imposita periclitantur. *(Non. expedire.)*

Idem *(Sisenna)* lib. IV: Multi praemissis armis ex summo se permitterent. *(Non. permittere pro mittere, incitare vel praecipitare.)*

Sisenna hist. lib. IV: Multi plagis adversis icti et congenulati, Romanis praecipitatis, ipsi supra voluti in caput. *(Non. congenulare est genu replicato cadere. In ed. Mercer. ad lib. III.)*

Sisenna hist. lib. IV: Neque porta, neque ullum foramen erat, quo posset eruptio fieri. *(Non. foramen.)*

Sisenna hist. lib. quarto: Cohors una post concitata, qua murus erat interruptus, evadit. *(Non. evadere est liberari.)*

Sisenna histor. lib. IV: Submoti et intra moenia rursum coacti. *(Non. cogere, in unum colligere.)*

Sisenna hist. lib. IV: Ultro citroque integrant in oppido caedem. *(Non. integrare, redintegrare.)*

Sisenna hist. lib. IV: Quid in rem publicam suam maxime conducere videretur. *(Non. conducere, utile esse.)*

Sisenna hist. lib. IV: Denique cum variis voluntatibus incerta civitas trepidaret. *(Non. civitas.)*

Sisenna histor. lib. quarto: Terrore perturbatam multitudinem subigunt. *(Non. subigere est superare et sub dicione habere.)*

Sisenna hist. lib. IV: Ab armis te recedere, praesidia de locis deducere. *(Non. deducere, trahere, movere.)*

Sisenna hist. lib. IV: Id me neque metu neque calamitatis necessitudine inductum facere. *(Non. necessituda, necessitas.)*

Sisenna hist. lib. IV: Agmen perturbatum pedites insinuant ac loco commovent. *(Non. insinuari est immitti.)*

Sisenna hist. lib. IV: Duae cohortes de subsidio procedunt, atque equites protelant. *(Non. protelare est excludere.)*

Sisenna hist. lib. IV: Exercitum dispartiunt, ad confligendum se componunt. *(Non. componere: disponere, constituere.)*

Sisenna hist. lib. IV: Iaculis celeriter consumptis ad gladios certationem revocaverunt. *(Non. certatio.)*

Idem *(Sisenna)* libro quarto: Alii materibus aut

lanceis, tamen medium perturbant agmen. *(Non. materae.)*

Sisenna hist. lib. IV: (Galli) contra magno cum molimento ac perpetuo sono procedunt. *(Non. molimentum pro conatu.)*

Sisenna hist. lib. IV: Conglobati et collecti concrepant armis. *(Non. crepare.)*

Sisenna histor. lib. IV: Impedimenta collocant omnia, construunt carros, et sarraca crebra disponunt. *(Non. carra masculin.)*

Sisenna hist. lib. IV: Simul et tormenta contenduntur. *(Non. contendere, astringere, intorquere.)*

Sisenna hist. lib. IV: Praetor festinatim de castellis ad castra maxima pedites conduxit. *(Non. festinatim pro festinanter.)*

Sisenna hist. lib. IV: Denique exinanitis castris Romani, qui clauso se loco potuerant expedire. *(Non. exinanita.)*

Sisenna hist. lib. IV: Plerisque inermis in castra perfugiunt. *(Non. inermis pro inermibus. In ed. Mercer. ad lib. III.)*

Idem *(Sisenna)* libro quarto: Castra de planitie convertit in montes, ut crebro ferculis protinus procedundo posset intra fines Aesculapiorum pervenire. *(Non. protinus.)*

Sisenna hist. lib. IV: Et partim fera vite, partim lauro et arbusto, ac multa pino ac myrtetis abundant. *(Non. fera vite positum pro agresti.)*

Sisenna hist. lib. IV: Victoribus proprie spem, victis adversae fortunae maiorem formidinem obiecit. *(Non. proprium significat perpetuum.)*

Sisenna hist. lib. IV: Popedius opinione frustrata. *(Non. opinio: spes, opinatio.)*

Sisenna hist. lib. IV: Quod oppidum tumulo in

excelso loco propter mare parvis moenibus inter duas fluvias intra Vesuvium collocatum. Idem eodem: Transgressus fluviam, quae secundum Herculaneum ad mare pertinebat. *(Non. fluvius masculini generis: feminini, ut amnis plerumque.)*

Sisenna historiarum libro quarto: Et prope mediam ad finem ripae pervenerant. *(Non. finis femin.)*

Sisenna histor. lib. quarto: Subito mare subhorrescere, caecosque fluctus in se provolvere leniter coepit. *(Non. caecum et sub voce horrendum.)*

Sisenna hist. lib. IV: Dum pristinum vitium apud ignem per sudorem corpore exhauserunt. *(Non. apud, iuxta.)*

Sisenna hist. lib. IV: Innoxios trementibus artubus repente extrahit, sistitque in labro summo fluminis, coelo albente. *(Non. labra, margines vel fines. Cf. fragm. ex incertis scriptis p. 317.)*

Idem *(Sisenna)* libro quarto † † † *(Non. manipuli. Locus ipse deest, nam quod in vulgatis addebatur, erat lemma sequentis notae:* materae *tela gravia bellica. Ita Mercerius.)*

Sisenna hist. lib. IV: Balistas quattuor talentarias. *(Non. balistae.)*

Sisenna hist. lib. IV: Prorae actuariae, trahi grandes, ac faseli primo. *(Non. faselus: navigium Campanum.)*

Sisenna historiarum libro quarto: Navesque triginta biremes ac todidem myoparones. *(Non. myoparo est navicula piratarum.)*

Sisenna historiarum libro quarto: Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetuą classi suspensa cilicia obtenduntur. *(Non. centones et cilicia.)*

Sisenna historiarum libro quarto: Quibus occisis

actuarias ad viginti, naves item complures onerarias incendunt. *(Non. onerarias: de oneribus tardas. Idem s. v.* actuariae *eadem verba laudat, sed ex Sisennae hist. lib. tertio.)*

Sisenna historiarum libro quarto: Ego illos malos et audaces semper enixim contra fortunas atque honores huius ordinis omnia fecisse ac dixisse sentio. *(Non. enixim pro enixe.)*

Sisenna hist. lib. IV: Eos qui hoc malum publicum clandestinis consiliis comparaverunt. *(Non. comparare: componere, machinari.)*

Sisenna hist. lib. IV: Qui tamen, quibus litibus foedera maiorum suum dissoluta. *(Non. accusativus numeri singularis positus pro genitivo plurali.)*

Sisenna libro quarto: Armis, equis, commeatibus nos magis iuverunt exleges; et minus honore dignos putabitis? *(Non. illex et exlex est, qui sine lege vivit.)*

Sisenna hist. lib. IV: Tamen Tudertibus senati consulto et populi iusso dat civitatem. *(Non. iusso pro iussu. In ed. Mercer. ad lib. III.)*

Sisenna hist. lib. IV: Milites ut lex Calpurnia concesserat, virtutis ergo civitate donati. *(Non. ergo.)*

Sisenna hist. lib. IV: Lucium Memmium, socerum Gaii Scribonii, tribunum plebis, quem Marci Livii consiliarium fuisse callebant, et tunc Curionis oratorem. *(Non. callet significat scit. C. Scribonius Curio consul cum Cn. Octavio a. u.* 678.*)*

Sisenna hist. lib. IV: Quoniam neque mea nex, neque intercessio posse videtur illorum dementem reprimere audaciam. *(Non. nex pro nece.)*

Sisenna hist. lib. IV: Cum complures menses barba immissa et intonso capillo, luguhri vestitu, populum vicatim flens una cum liberis circumiret, im-

peritum suscitat vulgum. *(Non. s. v. vicatim; immissum, vulgus. Sed in ed. Mercer. tribus his locis ref. ad lib. III.)*

Sisenna hist. lib. IV: Neque aetatis granditatem, neque ea merita, nec ordinis honestatem aut dignitatem sibi esse excusationi. *(Non. granditatem.)*

Sisenna libro quarto: Iudicium false factum. *(Charis. II pag. 179 ed. P. false.)*

Sisenna hist. lib. IV: Cistasque quae erant legum ferendarum gratia paratae, deiecerunt. *(Non. cistas.)*

Sisenna hist. lib. IV: Idemque perseveraverunt, uti lex perveniret ad quaestorem, ac iudices quos vellent instituerent praefestinatim et cupide. *(Non. praefestinatim.)*

Cornelius Sisenna histor. lib. IV: Hic tum iniectus est levis scrupulus et quaedam dubitatio. *(Festus s. v. scrupi.)*

LIB. VI.

Item *(Sisenna)* alio in loco: Nos una aestate in Asia et Graecia gesta litteris idcirco continentia mandavimus, ne vellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos impediremus. *(Gell. XII, 15 extr. Non. saltuatim. In ed. Mercer. ref. ad lib. I. Gellius paulo ante laudaverat librum sextum. In Nonio procul dubio vitium est, et puto lib. VI in hoc loco apud Gellium intelligendum esse.)*

Quam maxime celeratim *(celatim?)* poterat, in insidiis suos disponit. *(Gell. XII, 15 § 2. Non. celeratim. In ed. Merc. ad lib. quintum. Cf. fr. p. 316.)*

Sisenna hist. lib. VI: Marius ostio Liris evehitur, adque Aenariam suos continuatur. *(Non. continuari, convenire, concurrere. In ed. Mercer. ad lib. V.)*

Sisenna in historiarum libro sexto: Romanos inferendae pernicii caussa venisse. *(Gell. IX*, 14 § 12. *Non. pernici pro perniciei. Et P. Sabin. ex eo ad Virg. Aen. I*, 6.*)*

LIB. VIII.

Sisenna libro octavo: Caelum caligine stat. *(Non. stare.)*

LIB. XII.

Sisenna in duodecimo historiarum: Procul sibilus significare consuli coepit. *(Prisc. VI p.* 715 *ed. Putsch. sibilus quarta declinatione.)*

LIB. XXIII.

Sisenna hist. lib. XXIII: Multi populi, plurimae conciones dictaturam omnibus animis et studiis refragabunt. *(Non. refragabunt pro suffragabunt. al.* lib. XXII, *al.* XIV. *De Sulla dictatore.)*

INCERTA.

Sisenna: Urbe condita iuxtim Numicium flumen obtruncatur. *(Non. iuxtim pro iuxta. Popma refert ad lib. I, intelligitque Aeneam, ut Sisenna bellum Marsicum scripturus prius narrarit adventum Aeneae in Italiam, quod fecit Alexander Ephesius lib. I belli Marsici. Cf. auct. lib. de or. g. R. c.* 9.*)*

Idem *(Sisenna)*: Tanto plures passim dispalantur. *(Non. dispalare est separare.)*

Idem *(Sisenna)*: Hostes loca superiora potiti. *(Non. nominativus pro ablativo.)*

Idem *(Sisenna)*: Simul et senatuis consultis clarissimis amplificati. *(Non. senati vel senatuis pro senatus.)*

Sisenna: Vitam cum dolore et insigni cruciatu carnificatus amisit. *(Prisc. VIII p.* 793 *ed. Putsch. carnificatus* βασανισθεὶς *passive.)*

Sisenna: Sic in eam paludem multi piscium saliendorum caussa navibus semionustis commeant. *(Prisc. X p.* 909 *ed. P.)*

Cursim. Properatim. Celatim. Vellicatim. Saltuatim. *(Gell. XII,* 15 *§* 1. *Cf. fr. lib. VI init.)*

Sisenna tamen dicit, solum Antenorem prodidisse Troiam. *(Serv. Aen. I,* 242. *Fortasse ex lib. I.)*

Unde sequenda est potius Livii, Sisennae et Catonis auctoritas. Nam paene omnes antiquae historiae scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in Originibus dicit, Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana. *(Serv. ad Aen. XI,* 316. *Cat. fr. p.* 102. *Fortasse ex lib. primo.)*

Sisenna historiarum: Impedimentum omne itineribus amoliuntur. *(Grammatici incerti glossae ad Virgilii Aen. V,* 613. *Ex Barthii adversar.* 37, 5. *Apud Albertum Lion in edit. Servii tom. II pag.* 374.*)*

Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum. Quod quidem somnium Sisenna cum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse, tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus, disputat, somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat, exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse, et sanguinem fluxisse, et discessisse caelum, et ex occulto auditas esse voces, quae pericula belli nuntiarent, et Lanuvii clypeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, a muribus esse

derosos. *(Cic. de divinat. I c. 44 init. coll. de divin. II, 25.)*

Proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore seipsum interfecit, ut Sisenna memorat. *(Tacitus histor. III, 51. Consentit Livius epit. 49.)*

Quae arae a Sisenna propitiae vocantur. *(Serv. ad Aen. I, 108. Sunt autem saxa inter Africam, Siciliam, Sardiniam, Italiam.)*

INCERTA EX QUIBUS SCRIPTIS.

Caecilius *(rhetor, de quo cf. p. 183)* putat a Sisenna primum dictum esse: albenti coelo. *(Quintilian. VIII, 3 § 35. Cf. pag. 312.)*

Assentio. *(Pro assensio. Varro apud Gell. II, 25. Quintil. I, 5 § 13.)*

Mediterreum melius quam mediterraneum Sisenna dici putat. *(Festus: mediterreum.)*

Item plures patres familias dicere non debuerunt, sed, ut Sisenna scribit, patres familiarum. *(Varro de L. L. VII p. 122. Charis. I p. 83 et 96.)*

M. POMPILIUS ANDRONICUS.

Nominetur hoc loco M. Pompilius Andronicus, cuius opusculum annalium Ennii elenchorum Suetonius laudat. Sed cum nec argumentum libelli satis sit notum, nec de Andronico historico aliunde quicquam constet, Tranquilli locum de ill. gramm. c. 8 transscripsisse sufficiat: „M. Pompilius Andronicus,

natione Syrus, studio Epicureae sectae desidiosior in professione grammaticae habebatur, minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque cum se in urbe non solum Antonio Gniphoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit, ibique in otio vixit et multa composuit; verum adeo inops atque egens, ut coactus sit praecipuum illud opusculum suum annalium Ennii elenchorum sedecim milibus nummum cuidam vendere. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris." Simile tamen opus fortasse fuit libellis Clodii apud Plutarchum in Numa princ. p. 59 E: Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων, οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον, et *Claudii* sive *Clodii* apud Appianum R. Celt. fr. 3: *Paulus Claudius* ἐν χρονικαῖς συντάξεσι (cf. p. 213), et libro Attici, quo explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia videre licuit, ut scribit Cicero in Brut. cap. 4 coll. Vellei. II, 9 extr.

Q. LUTATIUS.

A Quinto Lutatio Catulo, quem de vita sua scripsisse ante diximus, diversum putamus cum Vossio Lutatium eum, quem Varro (de L. L. lib. IV p. 42) Gaio Aelio subiungit, cuiusque communes historias laudant Servius ad Aen. IX, 710 et Probus ad Georg. III, 280. Quintus vocatur secundum codicum quorundam auctoritatem apud Varronem de L. L. IV p. 42. Fuerunt quidem inter recentiores, qui nostrum eundem atque rerum suarum scriptorem putarent, et Varronis Serviique locos ad Catuli libros de vita referrent: verumtamen errorem subesse, facile opinor ex fragmentis intelligitur. Ceterum loci, quos

afferemus, ex Lutatii historiis, quas nemo diserte Catulo tribuit, non ex libris de vita desumpti sunt. Frustra autem temptaveris fragmenta incerta suis libris vindicare; neque apertum est, quot libris historia constiterit, quaeve tempora comprehenderit.

COMMUNES HISTORIAE.

LIB. I.

Lutatius in primo communis historiae ait: Qui deorum curam egerat. *(Probus in Virgilii Georg. III,* 280.*)*

LIB. II.

— recordatum Aeneam, quod aliquando ei responsum esset, urbi condendae quadrupedem futuram ducem. Tum simulacris deorum Penatium prosecutum, atque illum, ubi illa procubuit enixaque est porculos triginta, ibidem auspicatum, postquam Lavinium dixit, ut scribit Caesar lib. I et Lutatius lib. II. *(Auct. lib. de orig. g. R. cap.* 11 *extr.)*

LIB. III.

— Latinum pariter cum Aenea progressum, inter proeliantes circumventum occisumque. Nec tamen amisso socero Aeneas Rutulis obsistere desiit; namque et Turnum interemit. Hostibus fusis fugatisque victor Lavinium se cum suis recepit, consensuque omnium Latinorum rex declaratus est, ut scribit Lutatius lib. III. *(Auct. lib. de or. g. R. c.* 13 *extr.)*

Post eum *(Latinum Silvium)* regnavit Tiberius Silvius, Silvii filius. Qui cum adversus finitimos bellum inferentes copias eduxisset, inter proeliantes depulsus in Albulam flumen, deperiit, mutandique nominis extitit caussa, ut scribunt Lucius Cincius

lib. I Lutatius lib. III. *(Auct. lib. de or. cap.* 18 *init.)*

LIB. IV.

Lutatius libro quarto dicit, Cumanos inc parentibus digressos, Parthenopen urbem cond dictam a Parthenope Sirena, cuius corpus etiam quam ob locorum ubertatem amoenitatemque coeptum sit frequentari, veritos ne Cymaeam rerent, inisse consilium Parthenopem diruendi etiam pestilentia affectos, ex responso oraculi u restituisse, sacraque Parthenopes cum magna gione suscepisse, nomen autem Neapoli ob recei restitutionem imposuisse. *(Philargyrius in Vi Georg. IV,* 564.*)*

INCERTA.

At vero Lutatius non modo Antenorem, s etiam ipsum Aeneam proditorem patriae fuisse trad *(Auct. lib. de or. g. R. cap.* 9 *§* 2.*)*

Postumius de adventu Aeneae et Lutatius con munium historiarum: Boiam Euximi comitis Aenea nutricem et ab eius nomine Baias vocatas dicun *(Serv. ad Aen. IX v.* 710.*)*

Cincio Romam duodecima olympiade placet con ditam, Pictori octava, Nepoti et Lutatio opinionem Eratosthenis et Appollodori comprobantibus, olym piadis septimae anno secundo: Pomponio Attico et M. Tullio olympiadis sextae anno tertio. *(Solinus c.* 2.*)*

C. Aelius et Lutatius scribunt eum locum esse fulguritum, et ex senatusconsulto septum esse, id quod factum est a Curtio consule, quoi M. Genucius fuit collega, Curtium appellatum. *(Varro de L. L. lib.*

IV p. 42 ubi praenomine codd. aliqui: Q. Lutatius. *M. Genucius Augurinus, C. Curtius Philo coss. a. u. 309.)*

Q. AELIUS TUBERO.

Postremum locum in censu nostro habeat nobilissimus historicus Quintus Aelius Tubero, vocatus Quintus a Livio IV, 23 et in indice auctorum Plinianorum lib. II et XXXVI et apud Suetonium in Caes. cap. 83. Intellexit Vossius Lucium Aelium Tuberonem, Quinti Ciceronis in Asia legatum, quem M. Tullius in epistola ad Quintum fratrem I, 1 (coll. pro Plancio c. 42, pro Ligario c. 7 sqq.) his verbis historiam scripsisse refert: „Quanquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis suae: de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus deligere, quos velit et possit imitari.“ Lucii Tuberonis pater Quintus, L. Pauli nepos, Cicerone teste (in Brut. c. 31) Stoicus fuit, nullo in oratorum numero, sed vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat: tum dicitur ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus, fuisseque traditur constans civis et fortis et imprimis Graccho molestus. Extiterunt quondam auctore Cicerone huius Quinti Aelii Tuberonis orationes in Gracchum; sed historiam hunc Quintum scripsisse nusquam diserte, ne apud Ciceronem quidem, legitur. Livius autem Quintum Tuberonem Licinii Macri allatis testimoniis auctorem exhibet (IV, 23. X, 9), ut non Lucii patrem, Aemilii Pauli nepotem, et Rutilii aequalem (Cic. ep. ad Att. IV, 16 et XV, 4), sed

eius filium Quintum Ligarii accusatorem (Cic. pro Ligar. et Quintil. X, 1, 3. XI, 1, 80) et iureconsultum (Pomponius in DD. de or. iur. II § 46) intellexisse videatur [1]). Quanquam ex Liviana Tuberonis commemoratione non satis firmum argumentum repeti posse sentio, quo nepoti, non avo Quinto historias tribuamus; aliquanto etiam levius illud est ex Ciceronis silentio desumptum (Brut. c. 31), cum complurium, ut ante (pag. 49) dixi, quos inter oratores recenset, historica opera taceat. Nec vero, meo quidem iudicio, ab avi moribus duris et incultis abhorret historiam scribere. Verumtamen certissimum sententiae nostrae testimonium est, quod Quintum Tuberonem auctorem exhibet Suetonius in Caes. cap. 83. Lucius igitur Aelius Tubero, Q. F., historicus fuit. Sed cum nemo satis disertam eius mentionem fecerit [2]),

1) Gellius I, 22 § 7: „M. autem Cicero in libro, qui inscriptus est: de iure civili in artem redigendo: verba haec posuit: Nec vero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit; doctrina etiam superfuit."

2) Gellius V, 21 § 6: — *velim doceas nos, cur pluria sive compluria, nihil enim differt, non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro: quos subscriptores approbatoresque huius verbi habemus.* Significatur fortasse L. Aelius Tubero historicus. Tum *Aelio* pro *Porcio Catone* (vide Cat. Origg. fragm. inc. p. 119) Servii verba ad Georg. I v. 75 apud Burmannum minus recte tribuuntur. Postremo verba Varronis de L. L. IV p. 42: *C. Aelius et Q. Lutatius scribunt, eum locum esse fulguritum, et ex senatusconsulto septum esse, id quod factum est a Curtio consule, quoi M. Genucius fuit collega, Curtium appellatum:* haec verba, inquam, videri possunt ad L. Q. ve Ael. Tuber. histor. spectare; non tamen rettulerim, quod factum esse video, ad L. Aelium Stilonem, de quo Suetonius de ill. gramm. c. 3. Q. Aelii Tuberonis historici no-

cumque Cicero solum dicat de eo (ep. ad Q. frat. I, 1) *cum scribat historiam*: factum est ut putarent recentiores quidam, inchoatum ab eo opus fuisse, perfectum vero a Quinto filio. Equidem inter cetera, quae testimoniorum paucitate in his litteris incomperta sunt, hoc quoque in incerto posuerim. Ex fragmentis autem, quae supersunt, nihil amplius iudicari potest; atque si diversa opera fuerunt Lucii et Quinti, id quod mihi videtur credibile, incertum est etiam, utri Tuberoni singula fragmenta tribuenda sint, cum veteres inter Lucium Quintumque, ut inter Fabios aliosque plures, non discernant. Sed tamen, nisi fallor, L. et Q. Aelios Tuberones historicos intellexit Dionysius lib. I pag. 6 extr., ubi auctores suos nominavit: Πόρκιός τε Κάτων, καὶ Φάβιος Μάξιμος, καὶ Οὐαλέριος Ἀντιὰς, καὶ Λικίννιος Μάκερ, Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι, καὶ Καλπούρνιοι, καὶ ἕτεροι πρὸς τούτοις συχνοὶ ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς. Nonnullam autem difficultatem habet Gellianus locus X, 28, ubi in codd. Gron. *Gaius Tubero* legitur: in aliis, ut Guelff. et edd. vett. ante Steph., praenomen omittitur: fortasse tamen est intelligendus *Quintus*, quem diserte nominant Dionysius, Livius, Plinius, Suetonius. Sed si fragmenta, quae afferemus, ad Quintum Aelium Tuberonem L. F. Q. N. omnia referenda sunt, praemisso de historia scribenda [3]) prooemio (cf. Non. s. v.

---

stri filius est Q. Aelius Tubero, consul cum P. Fabio Maximo a. u. c. 743: cf. Plin. X, 17 extr.

3) Sallustius in Iugurth. c. 4: *Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, imprimis magno usui est memoria rerum gestarum, cuius de virtute, quia multi dixere, praetereundum puto.* Fortasse C. Fannius de historiae utilitate ac praestantia dixit; cf. p. 172. P. Sempronius Asellio locutus de historia scribenda, idem videtur fecisse: cf. p. 218.

protinus) incepit historias, quo nomine libri videntur inscripti fuisse, ab antiquissimis urbis temporibus, perscripsitque aetatem Punicam, ut Gellius testis est, et res gestas Caesaris, in quibus a Suetonio (Caes. c. 83) auctor affertur, ita ut antiquo more historiam ab urbis primordio inceptam ad sua usque tempora perduxerit. Narravit fabulas de urbe condita (auct. lib. de or. g. R. c. 16 et 17), sed eas videtur saepius historica ratione explicasse (Serv. Aen. II, 15), accurateque tradidit de institutis patriis (Gell. X, 28 coll. XIV, 7 et 8), siquidem doctissimus iurisconsultus fuit et antiquitatis peritissimus. A Dionysio familiari (cf. de Thucyd. iudic. princ. et fin. et epist. ad Ammaeum de Thucydide init., ubi Κόϊντος vocatur) dicitur δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής. Quod iudicium videtur Livius comprobare, qui libros linteos eum adhibuisse dicit. Apud Livium IV, 23 consentit Tubero cum Valerio Antiate; professus est autem cum Licinio Macro auctores libros linteos, quos Licinius secure, Tubero vero non sine dubitatione secutus est, ut significat Livius dicens: „et Tubero incertus veri est.“ In lib. X cap. 9 una cum Licinio Macro veterum monumentorum investigatore nominatur, sed ut locupletior testis opponitur iis vetustior annalium auctor L. Piso. Verum procul dubio Dionysius, Livius aliique saepius Tuberonem diligentissimum doctissimumque scriptorem consultarunt: nec videtur leve praestantiae argumentum esse, quod Livius, cum antiquiores potissimum sequi soleat, hunc quoque aequalem ferme consulendum duxit. Iam addamus de scriptore nostro Pomponii verba l. l.: „Tubero doctissimus quidem habitus iuris publici et privati: et complures utriusque operis libros reliquit; sermone etiam antiquo usus affectavit

scribere: et ideo parum eius libri grati habentur." De antiquo sermone isto testantur loci apud Nonium, Charisium, Servium, denique apud Gellium VII, 9 § 11, ubi laudatur incerti argumenti liber, ad C. Oppium, qui Cassii, Scipionis Africani, Marii, Pompeii et Caesaris vitas composuit. Porro liber super officio iudicis (Gell. XIV, 2 § 20) non dubito quin Quinti nostri iurisconsulti sit. Ceterum fragmenta, quae incerta posui, cuncta facile possunt referri ad historias.

FRAGMENTA.

LIB. I.

Tubero historiarum libro primo: Si quid a parentibus acceptum protinus antiqui memoriae tradiderunt. *(Non. protinus.)*

At vero alii tradunt, quod, cum Ascanius ab universo populo ad restituendam Laviniam cogeretur, iuraretque se neque interemisse, neque scire, ubi esset, Tyrrhum, petito silentio, in illa concionis frequentia professum indicium, si sibi, Laviniaeque, pueroque ex ea nato fides incolumitatis daretur; tumque eum accepta fide Laviniam in urbem cum filio reduxisse. *(Cap. 17.)* Post haec Ascanius completis in Lavinio triginta annis, recordatus novae urbis *cet. (Auctor lib. de orig. gent. Rom. cap. 16 § 5 et cap. 17. Vide Cincii fragmenta p. 73.)*

Ὡς δὲ Τουβέρων Αἴλιος, δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής, γράφει, προειδότες οἱ τοῦ Νομίτωρος θύσοντας τὰ Λύκαια τοὺς νεανίσκους τῷ Πανὶ, τὴν Ἀρκαδικὴν, ὡς Εὔανδρος καταστήσατο, θυσίαν, ἐνήδρευσαν τὸν καιρὸν ἐκεῖνον τῆς ἱερουργίας, ἡνίκα ἐχρῆν τοὺς περὶ τὸ Παλάντιον οἰκοῦντας τῶν νέων ἐκ τοῦ Λυκαίου γεθυκότας περιελθεῖν δρόμῳ τὴν

κώμην γυμνοὺς, ὑπεζωσμένους τὴν αἰδῶ ταῖς δοραῖς τῶν νεοθύτων. τοῦτο δὲ καθαρμόν τινα τῶν κωμητῶν πάτριον ἐδύναστο, ὡς καὶ νῦν ἔτι δρᾶται. ἐν δὴ τούτῳ τῷ χρόνῳ τοὺς ἱεροποιοὺς νεανίσκους οἱ βουλόμενοι, λοχήσαντες κατὰ τὸ στενόπορον τῆς ὁδοῦ, ἐπειδὴ τὸ πρῶτον τάγμα τὸ σὺν τῷ Ῥώμῳ καθ' αὐτοὺς ἐγένετο, τῶν ἀμφὶ Ῥωμύλον τε καὶ ἄλλων ὑστεριζόντων· τριχῇ γὰρ ἐνενέμητο, καὶ ἐκ διαστήματος ἕξεσον· οὐ περιμείναντες τοὺς λοιποὺς, ὁρμῶσιν ἐπὶ τοὺς πρώτους ἐμβοήσαντες ἀθρόοι, καὶ περιστάντες ἔβαλλον οἱ μὲν ἀκοντίοις, οἱ δὲ λίθοις, οἱ δὲ ὡς ἕκαστοί τι διὰ χειρὸς εἶχον. οἱ δὲ ἐκπλαγέντες τῷ παραδόξῳ τοῦ πάθους, καὶ ἀμηχανοῦντες ὅτι δράσειεν πρὸς ὡπλισμένους ἄνοπλοι μαχόμενοι, κατὰ πολλὴν εὐπέτειαν ἐχειρώθησαν. *(De Remo ab hostibus capto et Albam perducto. Dionys. l. I c.* 80 *p.* 67 *lin.* 10. *Vulgo ref. ad fragm. incerta.)*

C. Tubero in historiarum primo scripsit, Servium Tullium, regem populi Romani, cum illas quinque classes iuniorum census faciendi gratia institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septendecim: atque inde ab anno septimo decimo, quod idoneos iam esse rei publicae arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum iuniores, supraque eum annum seniores appellasse. *(Gell. X,* 28.*)*

LIB. IV.

Tubero historiarum quarto: Inimiciter irascendum non est. *(Charis. II pag.* 181*; inimiciter.)*

LIB. XIV.

Tubero libro XIV historiarum: Pars omnis luxuriabat. *(Non. luxuriabat.)*

INCERTA.

Eosdem consules insequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur: neuter, tribunos militum eo anno fuisse, traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet; et Tubero incertus veri est. Sed inter cetera, vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. *(Livius IV, 23.)*

In eum annum cum Q. Fabium consulem non petentem omnes dicerent centuriae, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum: eo anno maiori se usui rei publicae fore, urbano gesto magistratu; ita nec dissimulantem, quid mallet, nec petentem tamen, aedilem curulem cum L. Papirio Cursore factum. *(Livius X, 9 sub finem.)*

Tubero in historiis scriptum reliquit, bello primo Punico Attilium Regulum consulem in Africa, castris apud Bagradam flumen positis, proelium grande atque acre fecisse adversus unum serpentem, in illis locis stabulantem, invisitatae immanitatis; eumque, magna totius exercitus conflictione, ballistis atque catapultis diu oppugnatum: eiusque interfecti corium longum pedes centum et viginti Romam misisse. *(Gellius VI, 3.)*

Eundem vero Regulum Tubero in iisdem historiis redisse Carthaginem, novisque exemplorum modis excruciatum a Poenis dicit: In atras, inquit, et profundas tenebras eum claudebant; ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant, et adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in coelum oculos cogebant. Palpebras quoque eius, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. *(Gell. VI, 4 § 2.)*

De hoc equo varie in historiis lectum est; ut

Hyginus et Tubero dicunt, machinamentum bellicum fuit, quod equus appellatur, ut aries et testudo, quibus muri vel discuti vel subrui solent. *(Servius ad Aen. II*, 15. *Hunc locum Havercampius rettulit ad Coelium Antipatrum: cf. p.* 200.*)*

Quintus Tubero tradit, heredem ab eo scribi solitum, ex consulatu ipsius primo usque ad initium civilis belli, Cn. Pompeium; idque militibus pro contione recitatum. *(Sueton. Caes. cap.* 83. *Non dubito, quin ex historiis, non ex epistolis vel aliunde quo desumptum sit.)*

DE OFFICIO IUDICIS LIBER.

— praecepta Aelii Tuberonis super officio iudicis. *(Gell. XIV*, 2 § 20.*)*

AD C. OPPIUM LIBER.

Aelium quoque Tuberonem libro ad C. Oppium scripto occecurrerit dixisse, Probus annotavit, et haec eius verba apposuit: Si generalis species occecurrerit. *(Gell. VII*, 9 § 11.*)*

INCERTA.

Hinc in millesimum annum eorum columine civitas continebitur. *(Donatus in Phorm. Terent. II*, 1, 57.*)*

Tubero: Nam delinquat aut superet aliquid tibi. *(Servius ad Aen. IV*, 390. *Delinquere pro deficere.)*

(Ateius Capito) — Tuberonem dicere ait, nullum senatusconsultum fieri posse non discessione facta: quia in omnibus senatusconsultis, etiam in iis, quae per relationem fierent, discessio esset necessaria. *(Gell. XIV*, 7 § 13.*)*

Praefectum urbi Latinarum caussa relictum senatum habere posse — deque ea re assensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Iunii refert — *(Gell. XIV cap.* 8.*)*

INDEX.

A.

Acilius Glabrio 84.
Acta populi 24.
— senatus 24.
L. Aelius Tubero 321.
Q. — — 321.
Albinus 127.
Albini alii 129. 130.
Alfius 131.
Annales maximi 2. 3. 5. 23.
Annalium iactura 4.
Annalium et historiarum discrimen 12.
Annal. et histor. nomina commutata 14. 246. 290.
Annalium confectores Graecis chronographis consimiles 12.
Antias 266.
Antigonus Carystius 31.
Antiochus 30.
Antipater 182.
Antiquitatis studia Catonis aetate increbruerunt 15. 46. 68. 71.
Appiani R. Celt. fr. 3 temptatum 213. 245.
Appius Caecus 3.
Aricinorum fasti 23.
Aristoteles 31.
Asellio 216.
L. Attius 176.
Auct. dial. de oratt. c. 35 correctus 233.
Auct. lib. de orig. gent. Rom. correctus 85. 144. 146.
Auctores in lib. de or. g. R. nominati 65.
Auctores Syncelli de urbis origine 30.
Auctoritas historicorum 94.
Auctoritas scriptorum de rebus gestis suis 225.
Cn. Aufidius 298.

C.

Caecilius rhetor 183.
Calendaria 13.
Calpurnii Pisones 139. 141. 144.
Carmina de laudibus clarorum virorum 29.
L. Cassius Hemina 155.
Cassius Severus 166.
Cato censorius 89.
Catulus 232.
Censorinus de d. n. c. 17 temptatus 152.
Chaereas 88.
Charisius temptatus 127. 296.
— lectio dubia 206.
Choerilus poeta Samius 6. 8.
Cicero emendatus: accusat. IV, 4 p. 84. Brut. c. 20 p. 84; c. 23 p. 138. de legg. I. 2 p. 24 et 210; II, 5 p. 211.
— temptatus: Academ. I, 4 p. 211. accusat. I, 5 § 14 p. 233. pro lege Man. c 9 p. 233 orat. c. 69 p. 184.
Cincius Alimentus 63. 159.
— grammaticus 68. 207.
Claudii annales Aciliani Latini 85. 86.
Claudius imperator 257.
Q. Claudius Quadrigarius 243.
Clodii commentarii 214. 215.
— index temporum 214.
Sex. Clodii lib. Graecus de diis 213. 215.
Clodius Licinus 213. 245.
— Tuscus 216.
L. Coelius Antipater 182.
Commentarii consulares 26.
— pontificum 23.
— quaestorum 26.
— quindecimvirorum 26.
— regum 23.
Cornelius Nepos 17.

D.

Diarium 13.
Diocles Peparethius 31. 32. 51.
Diomedes correctus 231. 239.
— temptatus 156. 159.
— lectio dubia 260.

E.

Ennius 36.
Ἐφημερὶς 13.
Ephorus 30.
Epicadus 296.
Eusebius corruptus 74.

F.

C. Fabius, primus Pictor cognominatus 39.
Fabius grammaticus 49. 63 207.
Q. Fabius Maximus Servilianus 48. 49. 169.
Num. Fabius Pictor 39. 40. 49. 82.
Q. — — 38. 246.
Ser. — — 39. 48 49. 132.
Fabiorum alicuius fragmentum omissum: Serv. ad Aen. VIII, 630: *Fabius speluncam Martis dixit.*
C. Fannius 171.
Fasti Aricinorum 23.
— Praenestinorum 23.
Festus: dubia lectio 263.
M. Fulvius Nobilior 125.

G.

Gellius N. A. temptatus 274.
— — — dubia lectio 323.
— grammaticus 207. 211.
A. — 211.
Cn. — 202.
L. — orator 212.
Spx. — 209.
Glabrio 84.
Gracchorum aetate magna scriptorum copia 16.
Graece scripti annales 6. 43.
Graeci qui attigerunt historiam Romanam 30.

H.

Hemina 155.
Heraclides Ponticus 30.
Herodotus 30.
Hieronymus Cardianus 31.
Hippys Rheginus 30.
Histor. cf. annal.

I.

Investigatores rerum 10. 11.
Isidorus Hispal. origg. XX, 11 correctus 231.
Ἱστορικοὶ 15.
C. Iulius 127.
C. Iunius Gracchanus 221.

L.

Laudationes 2. 27.
Leges regiae 23.
Liberti rerum a patronis gestarum scriptores 17.
Libertini rerum scriptores 6. 16. 289.
Libo 138.
Libri lintei 25.
— magistratuum 25.
C. Licinius Macer 234.
Licinus 213. 245.
Λογογράφοι 8. 12. 18.
Lutatius 318.
Q. Lutatius Catulus 232.

M.

Aemilius Macer 239.
Licinius Macer 234.
Macrobius correctus 126. 232.
T. Manilius 297.
Marsici belli scriptores 66. 302.
Matronarum laudationes 27.
Monumenta historica scriptorum fontes 21.
Mulierum laudationes 27.
Munatius Rufus 125.

N.

Naenia 29.
Naevii versus derogati poetae antiquissimo 35.
Naevius 34.
Nonius correctus 134. 191. 239.
— temptatus 160. 163. 266. 314.
— dubia lectio 177. 259. 260. 315.

O.

Orationes veterum Ciceronis aetate non omnes superstites 17.
Ὡροογράφοι 12.
L. Otacilius Pilitus 289.

P.

Paulus 189. 267.
Philinus 87.
Philistus 30.
Pictor cf. Fabius.
Pilitus 289.
Piso Frugi 139.
Pisones alii 141. 144.
Plebeii rerum scriptores 6.
Plinius H. N. emendatus 140, 141. 182.
Plutarchus in Flaminino correctus 181.
Polybius 168.
M. Pompilius Andronicus 317.
A. Postumius Albinus 127.
Postumius Albinus alius 129.
Praenestinorum fasti 23.
Priscianus correctus 106. 171, 192. 239.
— temptatus 164. 205.
— incerta lectio 107. 238.
Probus 189. 267. 328.
Promathion 32.

Q.

Quadrigarius 243.

R.

Regiae leges 23.
Regum commentarii 23.
Rhetores ludos eludere iussi 3.
Munatius Rufus 125.
P. Rutilius Rufus 227.

S.

Scaurus 223.
Scipio 83.
Scribonius Libo 138.
Scriptores gentilium laudatores 51. 247.
Scylax 30.
C. Sempronius Tuditanus 178.
P. Sempronius Asellio 216.
Servius ad Aen. XII, 121 temptatus 220.
Silenus 88.
Sisenna 299.
Solinus c. 8 temptatus 201.
Sosili duo 88.
Statilius Maximus 92. 189. 267.
Strato 169.
Suetonius emendatus: Caes. c. 76 p. 59; c. 75 p. 84; c. 82 p. 232. Aug. c. 89 p. 232.
— incerta scriptura de clar. rhet. c. 2. p. 289.
Suetonius secutus Tacitum 248.
Sulla 290.
Sullae aetate litterae Romae diligentius tractatae 16. 289.
Suorum temporum scriptores 16.
Συγγραφεῖς 12. 15.
Syncelli auctores de urbis origine 30.
Syncellus emendatus 74.

T.

Tabulae censoriae 26.
Tacitus auctor Suetonii 248.
Theophrastus 30. 31.
Theopompus 30. 31.
Timaeus 166.
Traditiones 29.
L. Aelius Tubero 321.
Q. Aelius Tubero 321.
Tuditanus 178.

V.

Valerius Antias 266.
— Maximus 225.
Varro 17.
— de L. L. correctus 126.
— — incerta lectio 298.
Vennonius 175.
Vitae suae enarratores 17.

Z.

Zeno 168.

TYPIS TROWITZSCHII ET FILII.

OCT 8 1894
JAN 1 1896
JAN 7 1897

n bei
er & Mauke.

historic
004567306
1 709